



18

19

20

21.

22.

23

24.

25.

26

1665

18. Dobermannus, Joh: De re publica in genere
19. Falckner, Joh. Christoph: De contracta emphiosis-  
renditionis. Id. nov. 1754
20. Falckner, Joh. Christoph: De traditione person-  
alium statutum.
21. Falckner, Joh. Christophorus: Flores Thomae  
sacri.
22. Mullerus, Philippus: De summis Imperii subjecto.
23. Richter, Christophorus Philippus: Programma, quo  
... intentat et ... editionem Franc. Thamni  
Georgii Krulta.
24. Richter, Christophorus Philippus: De canticione  
ancoraris.
25. Richter, Christophorus Philippus: De universitate,  
eis denique vario speciebus et jucundis.
26. Richter, Christophorus Philippus: De significacione  
abverbiorum.

1660

Ig. Rostter, Christophorus Philippus : *De reparatione  
ex regia via... .*

Ig. Roeser, Theophilus : *De testamento.*

Ig. Schroeter, Ernestus Fridericus : *De cautione neces-  
saria*

30. Schroeder, Ernestus Fridericus : *De commissorum.*

31. Schroeder, Ernestus Fridericus : *De privilegiis mi-  
litum.*

32. Schroeder, Ernestus Fridericus : *X maleficis*

33. Schroeder, Ernestus Fridericus : *De protopaxia.*

34. Schroeder, Ernestus Fridericus : *De seniore.*  
2 Exempl.

35. Schroeder, Ernestus Fridericus : *X sublimi jure  
territoriorum.*

36. Schroeder, Ernestus Fridericus : *Forum competens*  
2 Exempl.

1688.

37. Schröter, Ernestus Ritterius: *De iure consuetudinario*
38. Schröter, Ernestus Ritterius: *De chirographo.*
39. Schröter, Ernestus Ritterius: *De reputatione*
40. <sup>neces.</sup> Struve, Georg Adams: *De officio judicis.*  
2 Band
41. Struve, Georgius Adams: *De natura privilegiorum  
dotium.*
42. Struve, Georgius Adams: *De contractu quodam Luso-  
minato, qui concensio Salinarum Hallensium deti-  
tur.*
43. Struve, Georgius Adams: *De rapto.*
44. Windheim, Stephanus Harbordus, &c: *De canis.*



120

I

M

Q. D. B. V.  
DISPUTATIONEM COLLEGII JURIDIC  
DE  
SIGNIFICATIONE  
**ADVERBIO.**  
RUM

TERTIAM,

Magnifico J<sup>c</sup>torum in Illustrissima Jenensium  
Academia Ordine consentiente,  
PRÆSIDE  
VIRO

Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo  
etq; Excellentissimo

DN. CHRISTOPHORO PHILIPPO

Richter/ J<sup>c</sup>to & Decretalium P. P. famigeratissimo, Co-  
mit. Palat. Cæsar. Consiliario Saxonico eminentissimo, Fa-  
cultatis Jurid. Ordinario, Dicasterii Provincialis &  
Scabinatus Assessore Primario, gra-

vissimo.

DN. PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO ÆTERNUM  
DEVENERANDO,

die 26. Aprilis. M. DC. LXV. H. L. Q. C.

publico placidoq; Eruditorum Examini

KÖNFIRED  
UNIVERS.  
ZVHALIE

Burchard Henrich Tilemann

A U T O R.

JENÆ

Typis JOHANNIS NISL

11



ILLUSTRISSIMIS AC GENEROSIS-  
SIMIS DOMINIS,

DN. ALBERTO ANTONIO,  
E quatuor Sac. Rom. Imp. Comitibus, Comi-  
ti de Svvertzenburg & Hohnstein, Dynastæ Am-  
stadii, Sondershusæ, Leutenbergæ, Loræ & Cleiten-  
bergæ &c.

DN. HENRICO II. Juniori & p.c.  
Seniori,

DN. HENRICO IX. &  
DN. HENRICO X.

Fratribus Germanis, Dnnn. RurHENI's,  
Dnnn. à Plavia, Dnnn. in in Graiz / Granniche  
feld / Gera / Schleiz & Lobenstein &c.  
DNNNN. meis per clement. ac Gratio-  
sis simis

HANCE DISPUTATIONEM JURID.

in debita subjectionis, observantia ac gra-  
titudinis πημάτων, ac ulterioris gratia  
& Promotionis ἐργατήρων

submisso

offert, dicat, consecrat

Burchard Henrich Eilemann  
Frauenbr. AUTOR.

**D**um vernum varios jam jam meditatur odores,  
Vesteque vult uti versicolore solum,  
Anticipas illud, TILEMANNE perite: Cathedra  
Flore tui ingenii non sine laude nitet.  
*Tessandi affectus ergo f.*

PRÆSES.

**Q**uam vellem TILEMANNE Tuis applaudere ceptis;  
Votaq; ferre libens, carmine dulcisono:  
Inter sed curas versa aversaq; Camæna  
Anne sinent calamum carmina digna dare?  
Alma Themis votis, opto, sic annuat ipsa;  
Plurimus ut fructus posit adesse brevi!  
Nobilissimo atq; Clarissimo Dn. TILEMANNO,  
Fautori atq; Consalino suo honorando gra-  
tulab. f.  
M. DAVID Lipach / Eccles. Jenens. Diaconus.

Nobili atq; Clare Docto  
**DN. BURCHARDO HENRICO TI-**

LEMANNO, J. U. Cultori indefesso

*Summam ex animo Felicitatem!*

**L**AUDIBUS hic polles, laudo : sic præmia certa  
Speras pro merito, digna labore Tuo.

DANIEL BEYER,  
Vratislaviensis.

**V**Idit Erythreo Parnassum Pyrrhus in anro  
Extensem quotib; verteret ille manum.  
Ornabat digitos gremio complexus Achaten  
Annulus, haud modico veniit ære lapis.  
In medio Phœbus, sicut circum turba novena,  
Tum pars visa suis utraq; lata choris

Non

Non egist sect. re lapis ; Natura sed illo  
Doctius in lapide est viribus usq; suis.  
Annulus hic non gemma mibi sed fabula visa est, regina A  
Fabula jam demum desin esse mibi.  
Nam quae nunc publice proponis scripta cathedrae;  
Hec eadem Pyrrhi gemma corusca notat.  
Vis micat ingenii rerumq; scientia, Phœbus  
Quæ vel cum Misis munera ferret, habent.

Hæc in honorem CL. Dn. Autoris, Commen-  
salis atq; Amici charissimi apponere voluit

CHRISTOPH. ZILLING, LL. Stud.

Nunquam, quia tractasti sacræ moderamine legis,  
Illiū culmen non sine laude petis.  
Indicat hoc specimen curam, studiumq; laborem  
in studiis positum, dulcis Amice, tuum.  
Gratulor ergo tibi, gaudebit semper Amicus  
hoc facto, atque feret præmia grata Pater;  
Et voveo ad juris culmen, quod scandere pergas,  
fis gratus Patriæ, gratior atque Patri.

Hæc Nobilis. Dn. Respondenti, Agnato suo hono-  
rando amica manu & calamo festinante appo-  
nere voluit

PAULUS GOTTLIEB BERLICHIIUS,  
SS. Th. Stud.

F I N I S.

•S(O)S•



23. Cognitionaliter.

N fero alias hoc Adverbium Advocatis,  
Procuratoribus, defensoribus, præcipue  
verò Judicibus valde est notum, habetq;  
eandem significationem, quam cognitio,  
unde etiā descendit, quod passim pro co-  
gnitione causæ, negotii controversi ex-  
amine, discussione, & quæstione, utraque parte præsente  
& auditâ, sumitur, ut l. i. ff. de off. affess. l. Cogn. 4. ff. de off.  
ejus cui mand. est Juris d. hinc & Graci illud rectè expri-  
munt, ~~zard~~ ~~Aggrovor~~, quod Germani ita reddunt, nach  
genugsamer Verhör und beyder Parten Sachen Betrach-  
tung re. quæ formula & hactenus pro solenni habita, fer-  
mè in omnibus sententiis adhiberi solet, uti testatur Dn.  
Carpz. & Dn. Fibig. in Process. In hac autem significatione  
modò dicta sàpius reperitur in xx. Cod.

Ita in l. 12. pr. C. de LL. quando sententia ab Impera-  
toriâ majestate latâ Justinianus vim legis inviolabilis tri-  
buit, elegans est textus ; Si Imperialis majestas causam  
cognitionaliter examinaverit, & partibus minus con-  
stitutis, sententiam dixerit, omnes omnino judices, qui  
sub nostro imperio sunt, sciant hanc esse legem, non so-  
lum illi causæ, pro quâ producta est, sed & omnibus simi-  
libus.

Ita in Nov. 86. c. 2. & inde desumpta Ausb. si verò. C. de  
Jud. ubi, quando inter Dd. de Judice suspecto i. e. tali, de  
quo merus esse queat, eū vel imperitiâ vel corrupti animi

Q

vicio

vitio, aliter quam decet judicaturum, qui recusari potest secundum l. 16. de Jud. arg. 1. qui Jurisd. 10. ff. de Juriisd. quaritur, an planè sit removendus, an verò alias Ordinatio suspecto adjungendus? recte, licet Diss. Don. 17. Com. 25. Bronch. 1. Ant. 66. decisum legitur. alium sc. Judici ordinariorum esse adjungendum, & ita inter litigantes cognitionaliter judicandum; Consen. Cujac. 9. Obs. 23. Hott. in l. 16. ff. de Jud. Duaren. f. 156. Covarr. Pract. quest. 26. Gail. 1. Obs. 33. n. 11. Myns. 2. Obs. 52. & 3. Obs. 63. Bus. 3. Subtil. 10. Cæterum quoque in l. 5. §. 4. pr. C. de temp. & repar. appell. l. 10. C. de revocan. donat. l. 3. C. de quest. adverbium hocce cum emphasi aliqua adhibitum reperies.

Ne verò quis de præstantia & utilitate hujus adverbii dubitare queat, sciendum, ad judicium constitendum cognitionem maximè requiri; Judicij enim cuiuslibet strictè sic dicti tres esse partes. Litis contestationem, causæ uriusque disceptata cognitionem & sententiam, jam dudum certum fuit, ex l. un. C. de lit. Cont. l. 4. §. pa-troni. 1. C. de Jud. l. 2. C. de Jurejurand. propter cal. præst. Si itaque pars aliqua ex istis tribus desideratur, totum judicium redditur infirmum, præprimis verò cognitionem, quæ familiam ex dictis requisitis ducit; Judicium enim omne suscipitur litis finienpæ gratia, teste Alcanio, quin lis non potest finiri, licet sit contestata, nisi prius causæ utrinque disceptata cognitionem suscepimus: Et hæc videtur etiam esse ratio, quare in quæstione illa, an judex potius secundum acta & probata, an verò secundum conscientiam debeat judicare, cum D. Arum. Ex. 6. in Haegy. B. Frantz. lib. 2. Resol. quest. 22. Schnobelio Diss. 1. th. 35. respondeatur, potius secundum conscientiam; veritas quippe

anna-

apparens & probabilis solum, ex actis & probatis elucentur, quæ si accurasier judicis postmodum accedit cognitio, & examinatio, confirmatur & firma redditur. Videatur Magnif. Dn. Struve Patronus ac Præceptor meus debite colendus, Ex. 44. tb. 5. Dn. Reinking. l. 2. Cl. 2. cap. 12. num. 4.

Etsi verò secundum l. 5. ff. de Ext. cognit. cognitiorum numerus cum ex variis causis descendat, tam varius, ut in certa genera dividi facilè nequeat, tamē apud omnes Jure Cons. constat, ex omnibus istis, illam, de qua Prætor vel Præses extra ordinem favore causarum vel personarū cognoscit, unde & cognitio Præatoria vel extraordinaria appellatur, t. t. ff. de Ext. cogn. l. creditor. 52. §. 2. de act. empt. esse utilissimam & nobilissimam, inque jure nostro fermè utramque paginam facere, multa quippe occurunt, de quibus ordinaria aliqua formula non est prodita, neque jure ordinario nituntur, ut sunt causæ liberales, Salaria Professorum, Advocatorum, &c. l. 1. & t. t. de Extraord. cogn. unde etiam venit, quod cognitio non solum in jure passim, sed & apud probatos autores juri ordinario soleat opponi, ut videre est inter alia apud Suetonium in Claudio c. 15. vid. Salm. de mod. usur. c. 3.

Occasione hujus Adverbii Q. An Extraordinariæ & Prætoriæ cognitiones possint mandari, & mandata jurisdictione transeant? quod Aff. pr. l. 4. ff. de Off. ejus. cui mand. est Jurisd. consentit Donell. 18. Com. 8. Sutholt. de Jurisd. apb. 153. & seqq. tamen cum hac cautela, ut adhibeamus limitationem Magnif. Dn. D. Struvii Ex. 4. thes. 41. Cum enim is cui mandata est Jurisdictio, & in bonorum possessionem mittere, & de suspecto tutore cognoscere,

R

&amp; alia

& alia plura, quæ magis imperii sunt quam Jurisdictionis, peragere possit, l. i. d. l. 4. ff. de Jurisd. Magnif. Dn. D. Struve d. Ex. 4. tb. 65. ibique in dictatis. Arn. Vinnius select. Juris quest. l. i. c. 3. mirum certè videretur, si & de nutri- ciis, de usu aquæ, aliisque similibus rebus, quæ extraor- dinatiæ cognitionis annumerantur l. 2. de Extr. Cogn. co- gnoscere & statuere nequeat. Vid. Scipio Gent. 2. de Ju- risd. 20. Magnif. Dn. D. Struve d. Ex. Dissentit alias Cuja- cius in l. vestis de V. S. & Obrechti. c. 5. n. 60. & seqq.

### 24. Compluries.

Adverbium hocce, quod est numeri, eandem cum Adverbio sàpè Plauto testé in Persa, & Catone Orig. 2. ha- bet significationem, & licet in ipso jure expresse cum acti- bus iteratis non inveniatur, potest tamen faciliter negotio colligi, quatuor ad minimum requiri actus ad id, ut ali- quid dicatur compluries factum, si l. 94. ff. de Legat. 3. per- pendimus, in qua quid per complures & veterum compluria, quod nostrates dempta Syllaba complura dicunt, à quo etiam compluries factum, intelligendum, & quot- nam cōtineat actus, habetur; descendit verò hoc adverb. immediatè à veteri plurè pro quo hodiè plus usurpatur, quod differt à multo, ut patet ex l. 12. ff. de testib. & l. 1. §. 7. ad SCTUM Tertull. & adhibetur in multis iisque nobilissimis Juris materiis, præprimis in hac, ubi de plus petitio- ne agitur. t. t. C. de plus petit. Plus autem peti alias quatuor modis dicitur, Re, Tempore, loco & causa, quod Paulus l. Sent. 10. qualitate plus petere appellat, ut rectè Bach. ad §. 33. Inst. de Act. notat, in quo hæc divisio satis clarè proponi- tur; unde minimè diversæ hæ sunt plus petitiones, ut fru- strà contendit Ægid. Hortens. Re plus petitur, cum re aut

quan-

quantitate aliqua certa debita, res plures, aut major quantitas petitur, ut v. g. si quis pro decem aureis, qui ei debebantur, viginti peteret. §. 33. *Inst. de Act.*

Tempore plus petitur, cum quod in diem aut sub conditione debetur, ante tempus vel existentem conditionem petitur, veluti si quis ita stipuletur: decem aureos primis calendis Martii dare spondeo, & prius illud quis, quam dies veniret, vellet exigere. §. 2. *Inst. de V. O.* §. 5. *Inst. de inutil. stipul.* Verum dubium hic suboritur, quomodo is, qui ante conditionem petit, plus petere dicatur, cum nulla ei adhuc competit actio, nec obligatio aliqua adsit. *I. cedere diem.* 213. ff. *de V. S.* Sed spes tantum debitum iri. §. 4. *Inst. de V. O.* Quibusdam distinguere placuit inter conditionem certam, quae aliquando omnino exstitura est, veluti si moriaris. §. 4. *Inst. d. t. & conditionem incertam,* quae an impleatur, incertum est, veluti, si navis ex Asia venerit, §. 14. *Inst. de Inutilib. stipul. arg. I.* 18. ff. *de Cond. indeb.* ut si quidem ante existentem conditionem certam quis petierit aliquid, propriè plus tempore petiisse censeatur, secus verò, si post conditionem incertam. Bartol. *ad I. non solum.* 8. §. *tale.* 3. ff. *de liber. legat.* Jason. *ad §. 33. Inst. de Act.* n. 10. Mynsing. n. 4. Don. n. 10. Verum enim verò quia textus in d. §. non distinguit, nostrum hic non erit, aliquam adhibere distinctionem, arg. I. 8. ff. *de Publ. in rem act.* præprimis cum vocabulum conditionis eam propriè significat, quæ incerta est, §. conditiones. 6. *de V. O. I. si pupillus.* 9. §. 1. ff. *de novat. I. neceff.* 8. §. 1. ff. *de perit. & com. rei vendit.* Afferendum igitur erit, plus petiisse intelligi etiam eum, cui nihil debetur, sicuti minus solvere dicitur, qui nihil solvit. *I. amplius.* 82. ff. *de*

V. S. Exinde autem nondum sequitur, ut nonnulli volunt, indebitum esse, quod sub conditione fuerit promissum; revera enim est debitum, licet tempus conditionis nondum cesserit, propter spem, quam ex contractibus etiam ad hæredem transmittit. §. 4. Inst. de V. O. quin imò creditoris nomine etiam venit is, cui sub conditione debetur. I. creditorū. 10. ff. de V. S. Jason. n. 3. Zaf. n. 3. Anth. Matth. in not. ad §. 33. Inst. de Act.

Loco plus peti dicitur, si alio; quam quo promissum est loco, agatur, veluti si Ephesi dare quis promittat, Romanus intendat sibi dari, d. §. 33. de Act.

Causa plus petere dicitur, si ex duabus rebus disjunctivè promissis altera præcipua petatur, v. gr. si quis ita a te stipuletur: Hominem Stichum aut decem aureos dare spondes; deinde alteram vellet petere, veluti hominem tantum, aut decem aureos tantum. d. §. 33. actor quippe hoc modo unam aliquam certam rem petens aufert reo electionem, quæ alioquin in hujusmodi promissionibus conceditur. I. ubi. ff. de V. O. I. plerumque. 10. ff. de Jure dot. Quicunq; igitur his quatuor modis olim plus fraudulenti & incogitanti animo petere solebant, causa poenæ loco cadebant, i. e. rem amitterebant, vel ut clarius, omni imposterum actione excludebantur, nec unquam debitum petendi potestas concédebat, & rationem suggerit Donell. n. 1. & ex eo Anth. Matth. ut sc. discant omnes jus suum prius diligenter explorare, & temperare sibi ab injuria, & inani judicii metu aliis non creare molestiam, quæ ratio sicuti genera lis, quin etiam juri novo accommodari possit, nulli dubitamus, licet alia plus petitionis poena in tempore ex Constitutione Zenonis, alia in reli-

quis

quis modis ex Justin. const. constituta. §.33. *Inst. de Act.*  
*junct.* §.10. *Inst. de Except.* t. t. c. de Plus petit. Ex constit.  
 enim Zenonis ex l.1. & 2. d. t. C. de Plus pet. Si plus peti-  
 tur tempore, duplicantur induciæ, & non aliter ad agen-  
 dum admittitur iterum, quam si prioris litis expensas o-  
 mnes refuderit. Ex Just. v. Const. quæ in Cod. nostro non  
 exstat, si reliquis tribus modis, puta re, loco, & causa, quis  
 plus petierit, cautum est, ut plus petens in triplum ejus  
 damni condemnetur, quod reus ex hac petitione fenserit,  
 d. §.33. *Inst. de Act.* & §.10. de Except. excipitur tamen u-  
 nus adhuc casus in l.3. C. d. t. d. Plus pet. ubi jus vetus ad-  
 huc obtinet, & plus petens causa cadit. Addatur Magnif.  
 Dn. D. Struve Patronus atque Praeceptor meus colendus.  
*Ex. 9. th. 68.* Dn. Brunneman ad l.1. & 2. C. d. t. Dn. Lud-  
 wvel. Exercit. *Inst. n. 16. th. 7.* C. Ilic. Umm. *disp. ad Proc.*  
*Jud. dir. 8. tb. 27.* Coler. *ad Capit. 2. num. 6.* & seqq. extr.  
 de Except. Dn. D. Strauch, Praeceptor quondam colendus, in  
*Diss. 24. aph. 17.* & seqq. A qua poena clausula illa Salvo Ju-  
 re superflui, libello adjecta, minimè liberat, *arg. l.21. ff. de*  
*acqui. bared.* & cap.54. in fin. *Ext. de App.* Hering. *de fidejuss.*  
*c. 24. n. 17.* & seq. Dissent. Zaf. ad §.33. vers. plus autem. n.t.  
*Jason. ad §. tripli v. 25.* *Inst. de Act.* Dn. Zang. c. 11. n. ult. &  
 alii. Quid autem significet adjectio hæc, Plurisve, in jure  
 utilis & non infreqüens, poterit infra videri in voc. Pluri-  
 mum, ubi B. Lectorem remitto.

### 25. Composite.

Usum Adverbii hujus si perpendis, reperies in Jure  
 nostro nullum esse, potiusque jure meritò siccò pede  
 præteriri, lieet apud Ciceronem & Plautum occurrat, ni-  
 si varbi à quo descendit, componere, utilitatem cogni-

R 3

tam

tam habuissimus, quam paucis lubet apponere propter cognationem. Varias autem habet in jure nostro sèpius occurrentes significaciones, mox enim significat instituere, ut in l. 2. §. 4. *postea ne diutius &c. ff. de O. Jur.* quo loco compositas actiones pro institutis quibusdam agendi formis accipere debemus.

Mox in unum jungere, jungendo conficere, & componere multas res, apta quadam cohærentia & veluti harmonia simul ponere, quin imò de rebus suis disponere, l. 2. C. de exhib. re. l. 26. C. de testam. l. 17. de test. mil. l. 4. C. de postb. hered. Inst. l. 6. ad SCTUM Turpill.

Sèpisimè autem sumitur in Jure nostro, sicut & nōmē compositionis, & ablativus vim habens Adverbii composito pro convenire, pacisci; unde etiam dicimus ex composito aliquid agere, *çn ovrdhns*, pro eo quod est ex conventione per reum cum præside factâ ex causa lite, pendente de dubio criminis statu, transactione, sive alio pacto, quemadmodum inter nos convenerit, vid. l. 6. l. 13. & l. seq. ff. ad Senatus conf. Turpill.

Q. hic. An Judex ad amicabilem compositionem s. concordiam partes possit cogere? Ad quam prius responderemus, distinguendum erit inter causas quas agunt inter se partes, an sit criminalis, an verò civilis? De priori affirmatur, quod sc. partes per judicem in causa criminali ad concordiam compelli possint. Bartol. *teste in l. congr. n. 4. ff. de off. præf. Bald. ibid. n. 1.* quod tamen rectè limitat Gail. l. 2. de p. p. c. 18. n. 8. sc. antequam committatur delictum, l. denunciamus, C. de his qui ad Eccles. s. config. & in l. illicitas. §. ne potentior. ff. de off. præf. De posteriori verò negatur, sc. in civilibus regulariter litigatores ad composi-

positionem vel ad compromittendū compelli non posse,  
Nov. 124. c. 4. Porest quidem Judex partes ad concordiam  
& compositionem hortari, sed non compellere, Bald. &  
Angel. in d.l. equiss. Jaf. in d.l. quidam existim. n. 4. ff. si cert.  
pet. Bald. in l. 1. §. quies. n. 2. ff. de Off. pref. urb. ratio quip-  
pe æquitatis non patitur, ut quis cogatur invititus re-  
mittere injuriam, nisi in foro pœnitentiali, idem Bald.  
in l. ex stipul. n. 1. C. de sent. & inter. omn. Jud. Alex. Cons.  
144. n. 1. vol. 7.

Exciuntur tamen casus, ubi etiam in civilibus ad  
amicabilem compositionem compelli partes queant, &  
1. quidem, si lis longo tempore tracta adeò intricata sit, ut  
partes se facile expediri nequeant, Dec. cons. 445. n. 2. Jaf.  
in d.l. quidam existim. n. 4. 2. Si dissensio sit inter perso-  
nas insignes & status, ex qua respubl. turbari & scandalum  
publ. oriri possit, l. si quis. s. in civil. ff. de capt. & postlim. -  
revers. Bald. in d.l. 2. §. quis n. 1. ff. de off. pref. urb. Videat-  
tur Carpz. Jurispr. for. part. i. Const. i. def. 11. Hart. Hart.  
t. 1. Obs. 4. Gail. l. 2. de P.P. c. 18. n. 19. Joach. Schnobel. Di-  
sput. ad π. 2. tb. ult. Castr. Alex. Jaf. & alii in d.l. quidam  
existimarunt. ff. si cert. pet.

## 26. Concinne.

Duas dari hujus adverbii significaciones puto esse,  
notum ex lexicographis, alteram quidem propriam & in  
bona parte usitatam, & significat idem ac ornatè, com-  
positè, convenienter quid peragere; Sic Cicero 2. de Orat.  
Hæc quidem sunt concinnè distributa, sed non peritè. Sic  
& pro Quintio. Hunc roga blandè & cōcinnè. Alteram im-  
propriam & in mala parte agitatam, & idem est ac calu-  
miniosè, callidè, sic quando dico, concinnè lites incipere

i. e.

i. e. ac si dicerem calumniosè alicui lites movere: Hinc in l. 9. §. 2. ff. de off. Procons. Concinnatores sunt hi, qui novas lites simulatis captionibus & cavillis improbis in longum ducere moluntur, cum eis jure agere non licet; Videatur Alex. ab Alex. qui se aliquando cum Romæ Palatini fori judicia operirentur, de hujus vocabuli vero sensu rogatum fuisse asserit, l. 4. Gen. dier. c. 15. Coras. l. 1. c. 4. n. 2.

### 27. Conclusè.

Usum hujus adverbii geminum apud bonos Autores occurtere, nemo est qui ambigit; Primo enim sumitur pro concinnè, concisè, breviter, Græci eleganter dicunt οὐγκεκλεισμένως; hinc quando Cicero dicit, conclusè aliquid dicere, nihil est aliud, quam compendiosè, sine verborum ambagibus & lenociniis causam suam proponere, Jure Cons. dicunt, causas ex breviculis, quæ sunt compendiarii seu breves libelli, quæ summam rei continent, ita enim definiuntur à Zonar. in Concilio Carthaginensi, βερβειον, η Πεταμηνὴ σωτηρὶ χαρφῆ; recitare, quo sensu reperies in l. 5. C. de conv. Fisci debit. lib. 10. & l. excellentia. C. de erg. milit. ann. Secundo accipitur pro ἀπολόγως sive finaliter, quando quis assumptione concessâ ad morem Dialecticorum convenienter argumentatur, quæ in significatione in elegantissimis conclusionum materialiis occurrit, & I. quidem, quando de conclusione libelli agitur, quæ secundum communem Dd. sententiam in omni libello necessariò adesse debet, quia id officium suum non nisi postulantibus confert, l. 4. §. hoc autem 8. ff. de dam. inf. quæ ex causâ, etiam dicitur conclusè s. conclusivè aliquid petere, teste Carpz. in Proc. Sic enim argumentum Logicorum consistit ex Majore, minore & con-

conclusione, ita apud Legistas libellus ex tribus consistere debet; unde secundum Innocent. in cap. super lit. 29. extr. de rescript. dicitur, non quid narratur, sed quid concluditur, attendi debet, & Angel. hic dicit, adeò advertendum esse ad conclusionem, ut non sit potius in libello aliud; sic si ego narrarem petitorum & possessorum, tamen per medium concludendi super possessorio restringitur libellus, ut habeat Decius conf. 28. hinc & Baldus inquit in l. nec quicquam g. s. ubi decretum. ff. de offic. procons. per conclusionem restringi narrata in libello ad ea, quæ conclusivè seu conclusè petuntur, videat. Card. Tusch. Pract. concl. 558. l. c. Repert. Johan. Bertachin. part. 1. l. c. hoc ipso vocab. Johan. Jac. Speidel. in syll. Quest. Jurid. b. voc. Schneidvv. ad g. omnium, Inst. de action. n. 117. Carpz. in sua Praxi, Fibig. König. & Frider. in pree. hinc inde. Dari tamen casus, in quibus libelli conclusionem omitti posse, seu ubi conclusivè non necesse habemus petere, Dd. notarunt, quos apud Ilic. Ummium Disp. ad Process. Jur. 6. tb. u. n. 54. secundum seriem recensitos invenies.

II. Quando de conclusione causæ queritur; an etiam sit de substantia Processus, conclusivè sententiam in causa ferre? quod negamus, utpote quæ absque vitio nullitatis omitti potest, ut habeat gloss. in elem. sapè. §. sent. in verb. conclusivè de V. S. Rota. dec. 1. n. 1. tit. de test. Marant. part. 4. dist. 9. Certum enim est, conclusionem in causis ordinariis, de summaris alias constat, magis de consuetudine, quam substantia processus, vel ut Repert. Bertach. loquitur, magis de justitia quam essentia esse, quæ ratio etiam est, quod in supremo Camer. Imp. judicio nulla sententia publicetur, ne interlocutoria quidem, nisi in

S                          causa

causa legitimè conclusum fit , uti testantur Camerale Gail. & Myns. quod èd etiam se extendit, ut licet alterutra pars concludere nollet, tamen judex eam , si modò ipsi ad concludendum sufficienes dilationes concessæ sint, in contumaciam causam ex officio pro conclusa acceptare & in principali pronunciare poterit, per textum elegantem in Auth. jubemus , C. de jud. quæ omnia hactenus dicta in causis civilibns , vera sunt; Secus verò in causis criminibus , in quibus, quoad reum, nunquām concluditur, idque favore defensionis , potest quippe reus defensiones suas non solum ante publicationem testimoniū , verū etiam patefactis attestationibus adeòque post ordinariam conclusionem quandocunque proponere , per text. notabilem in Lunus. §. ult. de quest. ubi notanda verba quandocunque tempore. Plura de hoc adverbio vide sis apud Joh. Bertach. in verbo conclus. Adde Card. Tusch. Pract. conclus. 558. Gail. Pract. observ. lib. 1. Obs. 107. n. 1. 2. 3. 5<sup>o</sup> seqq.

### 28. Concorditer.

Apud Canonistas Adverbium hoc admodum est frequens , & dicitur id factum esse concorditer, quod fit nemine discrepante, non quod fit à majori parte secundum Abb. in cap. non potest ext. de rejud. cap. cupientes. §. ad hoc. de Elec̄t. & elec̄ti potest. in & text. est clarus in cap. in causis xt. de elec̄t. ubi factum à majori parte capituli, & factum concorditer ponuntur ut diversa. Verū huic obstat videntur glossa in cap. non potest. x. de re judicat. & c. i. x. de majorit. & obedientia , ubi id dicitur factum est concorditer, quod est factum à majori parte ; Verū ita distinguendum puto, aut materia subjecta patitur seu requirit,

quirit, ut omnes interveniant, nemine discrepante, & ita procedit sententia *cap. in causis. de Ele&t. adjiciuntur quippe ut plurimum verba, omnes & singuli*; & tunc actus debet fieri, nemine discrepante; aut materia subjecta non patitur, nec requirit consensum omnium, & tunc factum à majori parte, dicitur concorditer factum, & ita intelligitur *glos. in d. c. i. & in cap. d. non pot. impropriantur enim tunc verba, & intelliguntur secundum juris dispositionem, cum alias propriè dicatur id fieri concorditer, quod sit nemine, uti dictum, discrepante.*

Hoc posteriori modo etiam sumuntur verba A. B. c. 2. §. 4. notabilia, sententiam nostram confirmantia, quæ sic sonant: *Postquam in eodem loco ipsi, vel pars ipsorum numero major elegerit, talis electio proinde haberi ac reputari debebit, ac si foret ab ipsis omnibus, nemine discrepante, CONCORDITER, celebrata &c.* Certum igitur est, electionem istam concorditer esse factam, si à majore Electorum parte profiscatur, adeòq; legitimā, in electione enim legitima majoritas attenditur. *d. §. 4. c. 2.* Hinc etiam Gloriosissimus Comes GUNtherus Schvvarzburgen-sis alia conditione in sui electionem consentire noluit, quam, si major pars eorum, qui se jus eligendi habere assererent, convenirent, teste *Cuffiniano in vita Guntheri*, An verò is etiam dicatur concorditer electus, qui trium Electorum vota habet, cœteris disparibus sc. ita: Duo consentiunt in Sejum, duo in Pamphilum, tres verò in Titium, hic obiter queritur? quod negatur: majoritas enim, respectu eligentium, non attenditur, aliàs valeret, quod Titius esset electus, quia trium haboret vota, verū majoritas respectu collegii & personarū in eo existentium,

quatuor enim adhuc superfunt, qui in Titium non consenserunt, unde minimè verum, quod major pars ipsum elegerint, & hanc sententiam probat c. Eccles. vestra, 17. ibid. Panorm. ext. de Elect. & Elect. potest. & Lupold. de Babenberg c. 12. electio enim non pertinet ad eos, ut singulares personas, sed ut ad collegium. Videatur Arumæus in notis ad A. B. c. 2. n. 16.

Civilia quod attinet jura tenendum, quod adverbium hocce etiam ibi suos habeat usus, in materia enim ista, quando Universitas Syndicum, qui ipsius nomine agit, constituit, l. i. §. 1. l. 2. & 3. ff. quod quisq; univers. nom. vel l. cont. etiam dicitur concorditer constitutus, quando ipsi secundum datam anteà distinctionem, vel omnes, vel major pars, seu plura suffragia, aut majora ut vocant vota, in rebus ad universitatem ut universitatem spectantibus, Syndicatus officium deferunt. l. 19. ad Munic. l. 45. C. de decurion. lib. X. videatur Magnif. Dn. Carpzov. part. i. c. 13. def. 7. & l. 3. Respons. Elect. n. 8. 9. Magnif. Dn. Struve, Praeceptor atque Patronus meus debite devenerandus, in Synt. I. C. Ex. 7. tb. 42. Contractus hic brevitatis studio prætero, quia concordia & consensus omnium horum, est fundamentum, ut text. elegans testatur in l. i. §. penult. ff. de Pactis. quid? quod ipsius so cietatis civilis; concordia enim, cum primò omnium sola foret societas inter maritum & uxorem, effecit, ut posteà etiam domestica coalesceret, ex domesticis integræ familie, quibus etiam extraneæ adscitæ sunt, sic, ut distractis locis habitantes, primò vicos, deinde pagos, post oppida & urbes, deniq; provincias & regna constituerent, ut adeò non minus eleganter quam verè dictum sit: Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur.

29. Con-

## 29. Conditionaliter.

Adverbium hocce utpote qualitatis de eo dicitur, quod sit sub conditione, ut patet ex l. 17. §. 3. ff. de cond. & demonst. §. 31. sed si cond. Inst. de legat. ubi expressè reperitur, habetque in jure nostro insignem usum : Omne verò illud, quod sit conditionaliter, seu sub conditione, indicatur certo aliquo signo, v. g. vocabulo SI, l. 8. & 9. l. 16. & 19. l. 61. & 64. ff. de V. O. l. 2. l. 6. §. 1. l. 7. l. 11. §. 1. l. 47. & 50. ff. de cond. & demonst. vocabulo SIVE. l. 63. ff. de V. O. it. vocab. NE & NEQVE l. 83. in fin. princ. ff. eod. Innuitur porrò conditio per verbum QVAMDIU, secundūm Bart. in l. pater Severinum. §. fin. ff. de cond. & demonst. & Bart. in l. 1. in princ. C. de leg. it. per dictiōnēm UBI. l. sita script. §. fin. ff. d. t. it. per hæc verba, CUM HOC PACTO, teste Alex. conf. CXIX. in part. 1.

Fit vero aliquid conditionaliter vel sub conditione, modo possibili & impossibili ; Possibili, quando conditio, quæ per rerum naturam admitti potest, alicui rei adjectitur, arg. §. 11. Inst. de inutil. stipul. Et hæc conditio tunc iterum est vel potestativa, vel casualis, vel mixta. Illa dicitur, quæ pendet à potestate implere debentis, iudicaturque exinde, quod de facili à communiter contingentibus possit impleri l. suus quoq. §. 1. cum gloss. ff. de hered. inst. e. g. Si fīlichum manumiserit, si servum hæreditarium non alienaverit, si statuas in municipio posuerit. l. 26. ff. de inoff. test. l. ult. ff. de cond. Inst. l. filius. ff. de cond. & demonst. Verum an in l. 35. §. 5. ff. de contrah. empt. conditio potestativa lateat, obiter hic quæritur ? quod negatur. Licet enim, ut dictum, conditio potestativa largo

modo dicatur ea, quæ sit in potestate facientis, sicuti in *lege nostra*, ubi agitur de venditione ad mensuram, quæ quidem est in potestate ementis & vendentis, sed non absolute & propriè, impedire quippe non possunt mensuram ; conditio itaque vera & propriè, si est potestativa, debet esse absolute in potestate mea, ut possim facere & non facere, unde etiam arbitraria appellatur. *Casualis* est, quæ ex alieno arbitrio vel ex solo fortunæ eventu pendet. *I. unic. §. 7. C. de cad. tollen. I. 60. ff. de cond. & demonst.* *§. 4. Inst. de V. O.* & si filius sub hac conditione instituitur, habetur pro præterito. *I. 4. I. 86. ff. de her. inst. I. 28. pr. ff. de lib. & postb.* quod etiamnum hodiè obtainere affirmant *Jas. I. si pater. n. 19. Clar. §. testament. quest. 39.* Mixta denique est, quæ partim ab arbitrio ejus, in quem confertur, partim ab eventu & casu dependet, veluti si Titius ante Calend. Maj. ex Italia redierit. *I. 4. ff. de her. Inst. I. 10. de V. O.* Impossibili modo aliquid fit, quando conditio additur, quæ nunquam existere potest, (1.) vel ob cursum naturæ. *§. 11. Inst. de inutil. stipul. I. 4. de cond. non obſt. I. 4. §. 1. de ſtatū lib.* (2.) ob justam legis animadversionem, *I. 20. I. 26. ff. cod. non obſt. I. 15. de cond. Inst.* (3.) denique propter bonos mores : *arg. I. 8. ff. de cond. Inst.* etsi ista conditio affirmativè (negativa enim si apponitur, v. c. si coelum, digito non tetigeris, pure facta intelligitur obligatio, juxta *§. d. n. Inst. de inut. ſtip.*) adhibita reperitur, semper pro non adjecta habetur, *I. 16. ff. de cond. inst. d. g. n. Inst. d. l. 5.* Videatur Card. Tusch. Pract. conclus. *tom. 2. concl. 580. & seqq. Gail. I. Obſ. 132. n. 3. Molina tom. I. tr. 2. diſp. 206. Merrend. 2. controv. c. 25. Speidel. in Syll. quest. jurid. I. c. vocab. Conditio. Report. Joan. Bertach. Part. I. I. c. v. d. Magnif.*

Dn. Strn.

Dn. Struv. in Synt. I.C.Ex. 35. tb. 97. it. Ex. 33. tb. 49. Magn.  
Dn. Strauch. in Diss. ad n. 9. apb. 22.

Occurrit verò præcipuè hoc Adverbium in materiis stipulationum, Institutionum & Legatorum; sæpiissimè enim ob varios hominum in vita civili casus conditiona-  
liter stipulamur; quando forsitan in aliquem casum dif-  
ferri cupimus obligationem, tunc enim neque nascitur  
obligatio neque actio, sed spes tantummodo fit debitum  
iri. §. 4. Inst. de V. O. seu ut JCTI loquuntur, neq; cessit neq;  
venit dies. l. 213 ff. de V.S.

Horum autem stipulationum exempla reperies in l.  
2. & 4. §. 1. l. 1. & 15. l. 12. l. 26. & 28. ff. de cond. & demonst.  
item in tit. ff. de V.O. qui scater his stipulationibus.

Ita in materia legatorum, conditionaliter legatum,  
relinquitur l. 5. §. 2. l. 21. quando dies legatic cedit. l. 19. l. 55. l. 94.  
ff. de Cond. & demonst.

Sic quoque conditionaliter in testamento institui-  
tur hæres, l. 4. l. 68. de hæred. inst. l. 15. l. 28. l. 4. l. 5. l fin. de cond.  
Inst. l. 38. de Cond. & demonst. l. 4. C. de inst. & subst. Hinc  
quando conditionaliter ita, seu sub tali conditione; si sine  
liberis decesserit: liberi ponuntur, queritur, an ha-  
bendi sint pro institutis? quod affirmant Steph. Forcatu-  
lus in Neciomantia, dialog. 50. & seqq. Fach. l. 4. controv. c. 51.  
Renneman de Iure Rerum. Diss. 22. n. 20. Verum quoniam  
negativa communiter est recepta etiam hanc meritò pro-  
pter fundamenta immota retinemus, cum Alciato in com.  
ad l. 11 C. de Part. n. 15. cui calculum suum addunt Magnif.  
Dn. D. Richter Præses, Patronus atque Præceptor meus æ-  
ternùm colendus. in Interp. l. ult. C. de Edict. div. Hadr. toll.  
Magn. Dn. D. Struve Ex. 36. tb. 24. Magn. Dn. D. Strauch.

Diss.

*Dif. ad π 9.apb.25. Dn.D.Brunnemann in interpret. J. i. C.  
de Pact.*

### 30. Confestim.

Varias pro subjectā materiā, Adverbium hocce temporis in jure non infrequens, recipere significationes, testes sunt leges hanc in rem expressæ.

Sic aliquando sumitur pro eo, ubi primum potuit h. e. Prætoris copiam habuit, teste Ulpiano in l.2. §.43. ff. ad *SCTUM Tertyll. & Orph. Rebuff.* ad *l.anniculus.134. de V.S.*

Aliquando petitur interpretatio ex testatoris vel legatoris voluntate, ut significet statim post impletam conditionem & mortem instituti, ut probant textus notabiles in l.77. §. ab *instituto.15. ff. de Legat.2. & l.4.C. quando dies legat.l.fid.cedit.*

Aliquando accipitur pro decem dierum, l.21. §.1. ff. de *confpec.* aliquando pro 4. mensium spatio, teste *Bart in l.presbyte. C.de Epis. & Cler.* aliquando pro integro anno secundūm *Ascan. Clem. de Pat. pot. c.4.n.39.*

Interdum quoque sumitur pro modico temporis intervallo, quando quis obligatur ad dandum aliquid vel faciendum, sicuti cum singulari elegantia & perspicuitate appareat ex §.1. *Inß. de Verb. obl.* ubi de stipulatione purè initia ejusq; affectu agitur, quod sc. ex ea statim nascatur obligatio & actio, adeoque confestim peti possit. l.41. §.1. l.118. §.1. ff. de *V.O.* cum nihil occurrat, quod actionem provenientem impedire posset, cessit quippe & venit dies, ut loquitur *JCTus in l.213. ff. de V.S.* quia tamen ratio humanitatis intercedebat, introductum est, ut modicum tempus ad solvendum daretur. l.21. ff. de *Jud.* hinc non statim credi-

creditor debitorem cum sacco adire debet, *lege not. 105 ff.*  
de solut.

Tandem denique usurpatur pro eo, quod fit sine  
ullo temporis intervallo, vel ut Demosthenes loquitur,  
*ἐνθετοῦ προσαρμόλος*, uti patet ex l. 12 ff. de pæn. l. 51. prin. ff.  
ad L. Aquil. quam etiam posteriorem sic ipse Ulpian. ele-  
ganter in l. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm. explicat, quando de  
defensione corporis sui necessaria, seu moderamine incul-  
patæ tutelæ, uti vocatur in l. 1. C. unde vi. agit. Videatur  
Albert. de Pergamo in tr. de Preposit. n. 46, David Dö-  
ring. in Bibliothec. Jurecons. Voc. Adv. n. 25. & Simon  
Schardius in Lexic. Jurid. lit. C. hoc ipso vocab.

### 31. Confidenter.

Inquirenti in potissimum hujus adverbii significati-  
onem potest satisfacere elegans Ciceronis locus libr. 3  
*Tuscul. Quest. 9. 14.* qui ita se habet: Qui fortis est, idem  
est fidens, quoniam confidens mala consuetudine loquen-  
di in vicio ponitur, ductum verbum à confidendo, quod  
laudis est &c. Sicut itaque confidens, vel qui secundum  
Aristot. 3. *Ethic.* 10. in rebus terribilibus supra modum  
confidit, primam virtutis moris excedit speciem, (ruit  
quippe in alterum fortitudinis extremum, quod in vicio  
ponitur) ut non nisi à paucis in paucis pro constanti &  
gravi, ὡς θῆται πλάστην verò pro audaci & temerario ha-  
beatur, sicuti probat Terent. in *Phormion.* his verbis: homo  
confidens, ut illum dii omnes perdant. & Virgil. 4. *Georg.*

*Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras*

*Jussit adire domos?*

Ita quoque Subst. *confidentia*, & Adverbium *confidenter*,

T

quo

quo de nobis sermo, in mala parte usurpantur, quinimò semper inveniuntur; de illo quidem constat ex Jure Canon. sc. cap. 1. circa fin. de Elect. in 6to. de hoc verò sc. adverbio non nisi ex probatis autoribus, quod idem sit ac auctor, animosè in excessu, & temerariè, sicut ex multis eleganter Plaut. *Qua non deliquit? decet audacem esse confidenter.* Cæterum licet hoc Adverbium in Corpore nostro J. C. non inveniatur, suo tamen non caret usu, præ- primis in foro, ubi sàpissimè occurrit, vid. Job. Jac. Speidelius in Syllog. Quest. Jurid. & Polit. Lit. C. vocab confidenzia, ibique allegatus Anton. Mart. Neop. 6. dig. tit. de confid. c. 4. & 7.

### 32. Confusè.

Adverbium hocce licet sit ordinis, in propria tamen seu stricta sua significatione omne illud denotat, quod fit sine ordine, teste gloss. in auth. de bæred. & Falcid. §. inordinatum. *vers. confusum.* quam sequitur Alberic. in diction. verb. *confusum.* inlata verò eaqué in jure frequentiori illud significat, quod alteri ita commiscetur, ut separari & deduci non possit, aut certè difficilis sit ejus separatio, seu ut idem sit ac permixtè, quando enim aliquid confunditur, tunc utique etiam quasi ordo turbatur, ut ita secundum c. *ad nostrum.* 3. xt. de Jure Jur. ordo sit, non servare ordinem, & in hac posteriori significatione sàpissimè cum insigni usu in Jure occurrit, quando de confusione rerum corporalium & incorporalium agitur.

Sic in l. 3. §. fin. l. 4. de rei vind. §. 27. Inß. de Rerum divis. occurrit, quando de confusione rerum corporalium agitur, tunc enim quando duorum dominorum materia

in u-

in unum corpus transeunt, dicitur illud confusè factum, non autem hoc loco mixtionem & confusionem habemus pro iisdem, uti nonnulli sunt, sicuti videre est apud Eguin. Baron. ad §. 27. Inst. d. t. Sed separamus, quia commixtio earum est rerum, quæ non alterantur, sed in propria substantia durant.

Quod res incorporales concernit, sciendum, quod ibi quoque occurrat: nam confunduntur jura, v. g. servitutes l. i. ff. quemadmodum servit. amitt. ususfructus, l. 4. ff. ususfr. quemadmodum. l. 6. ff. de man. vind. & obligationes, l. 50. ff. de fidejuss. l. licet. C. ad L. Falcid. occasione hujus ad verbii potuisse quidem nobilissimam confusionum materialiam attingere, verum ne nimis prolixo videamur, mitimus B. Lect. ad Magnif. Dn. D. Struvii *Exercitationem*, 47. tb. 48. Magnif. Dn. D. Strauchii *Dissertationem* 17. apb 9. & Dn. Wissenb. *Disputationem* 28. tb. 17.

### 33. Conjunctionem.

Licet secundum Paulum in l. 29. ff. de V. S. nonnulla conjunctiona pro disjunctis, & disjuncta pro conjunctionis accipiuntur, certum tamen manet, quod hoc adverb. ut plurimum copulationem & conjunctionem denotet, habeatque in materia institutionum & legatorum insignem usum, ubi sapienter occurrit.

Sic in l. 80. ff. de legat. 3. dicitur, conjunctionem hæredes institui, aut conjunctionem legari, h. e. totam hæreditatem, & tota legata singulis data esse, partes autem concursu fieri.

Ita in l. notabili alias §. ff. de cond. Inst. Si hæredi plures conditiones conjunctionem datae sint, omnibus paren-

T i dum

dum est ; quia unius loco habentur, si disjunctum sint,  
cuilibet. Legitur quoque præterea in §. 8. *Inst. de legat.* &  
alibi passim, ut ex lectione frequenter patet.

Si ergo nunc una eademque res duobus conjunctim  
seu simul legatur, & si uterque ad legatum perveniat, scin-  
ditur seu dividitur inter eos legatum, si vero alter deficiat,  
totum ad collegatarium pertinet, jure accrescendi, quod  
ex tali conjunctione ortum trahit.

Conjunction autem ista secundum Adverbii nostri  
significationem alias solet esse triplex, realis, verbalis, ver-  
balis & realis simul, teste Paulo in l. *triplici.* 142. ff. de V.S.

Realis tantum est, quando diversis orationibus ea-  
dem res duobus legatur, v. gr. Titio fundum Tusculanum  
do, lego, quæ est una oratio; Sejo eundem fundam Tuscu-  
lanum do, lego, quæ est altera oratio, & taliter conjuncti  
in §. 8. *Inst. de legat.* l. *unic.* §. 10. & l. *C. de cad.* toll. dicuntur  
disjuncti, inspecta scil. externa forma legandi, in se tamen  
sunt revera conjuncti, in eandem scil. rem, d. l. 142. de  
V. S. l. 89. de legat. 3.

Verbalis est, quando eadem quidem oratione, (vel  
uno verbo ex iis, quæ collectiva dicuntur, v. gr. filii, libe-  
ri, familia) eadem res pluribus legatur, sed concurrens  
respiciens, testator addit partes, v. g. Sejo & Mævio fun-  
dum Cornelianum æquis partibus do, lego, l. 89. de legat. 3.  
vel Fratris mei filiis ædes meas æquis partibus do, lego,  
l. 13. pr. de hered. *Inst. l. 15.* §. 1. de Legat. 2.

Realis & verbalis simul, seu mixta est, quando itidem  
eadem oratione seu ejusmodi verbo collectivo, eadem  
res pluribus legatur, nulla facta mentione partium, v. gr.  
Titio & Sempronio (est eadem oratio) hominem sy-  
chum, (est eadem res) do, lego, l. 142. de V.S. Etsi

Etsi verò Dd. communiter contenti tribus iitis conjunctionum speciebus, tamen quartam haud temerè ad jungimus ex l. 67. ff. de acquir. hæred. quam Gometz. 1. resolut. 10. n. 28. rectè legalem vocat; nam si servus duorum vel plurium hæres institutus sit, domini jure accrescendi gaudent, eo, quod lex pro conjunctis eos habeat, d.l. 67. l. ult. pr. ff. de vulg. & papill. subst. quod etiam Julianus probat, si servo communi legatum sit, l. 1. §. 1. de usif. accresc. Cùm autem conjunctio, ut dictum, fundamentum sit Juris Accrescendi, non immitterò hic quæritur; an in qualibet harum conjunctionum locum habeat? quod quidem de re ut & mixtim conjunctis satis expeditum es- set, sc. partem deficientis alteri acquireti, l. unic. §. n. C. de cad. toll. nisi quidam inter se dissentirent, quo jure id fiat, an jure accrescendi, an verò jure decretandi, ubi tamen posterius, utpote juri nostro planè inconveniens, contra Anton. Fabr. decis. 49. error. 4. pr. ex rationibus certis ne- gamus, prius autem cum B. Dn. Frantz. Ex. 7. quæst. 3. Ba- chov. ad Treutl. V. 2. Disp. 13. tb. 3. lit. A. affirmamus.

De verbis verò conjunctis difficilis & intricata est quæstio, multi enim sunt, qui negant, propter leges hanc in rem, ut putant, claras, quas prose in eadem sententia allegat Schnobel. *Diss. ad n. 6. tb. 21.* jus accrescendi inter hosce conjunctos locum habere, quos novissimè etiam defendendos suscepit Goeddæus in *l. triplici*, 142. de *V. S. Paul. Busius in l. penult. ff. de usufr. accresc. num. 6.* nec non *Osius Aurel. Disputationum lib. sing. Diss. 40. p. 351.* Verum enim verò quicquid illi dicant, putamus tamen affirmativam cum Duarenio *lib. 1. c. 10. de jure accresc.* esse prærendam, scil. jus accrescendi etiam inter illos locum ha-

bere: & rectè, hanc enim sententiam tanquam communem Dd. etiamnū in Praxi hodierna, tām civili quām Saxonica obtinere tradunt Schneidev. ad s. 8. Inst. de legat. Dn. Carpzov. part. 3. Conf. 2. def. 14. ubi etiam responsum refert, *Hat euer Ehwirth und Vater in seinem Testamēt unter andern verordnet / dass alle seine Kleider / Bücher und andere mobiliē seinen fünff Söhnen ingesamt / iedoch in fünff gleiche Theil zu vertheilen/ausgesetzt seyn/ und verbleiben solten ; Ob nun wohl der eine Sohn noch vor dem Vater Todes verfahren / so ist doch dessen Antheil an den prælegirten Stücken seinen Brüdern / und also den andern Legatariis Jure Accrescendi zugefallen / und haben sich demnach die gesambten Erben dessen nicht anzumassen ic.*

Sicut ergo Juris accrescendi cognitio propter utiles in Theoria controversias, & usum in Praxi quotidianum valdè est utilis & necessaria, ita quoque hujus Adverb. evolutam significationem non inutile fore reor.

Cum hoc Adverbio quandam etiam vicinitatem habet Adv. Coniunctè, quod idem interdum significat, ubi tamen sciendum, quod communiter alias accipi soleat de illa coniunctione, quæ sit animo, præprimis verò sanguine uti notum. Videatur Molin. tom. 4. tract. 3. disp. 2. Cœpoll. 2. Conf. 33. verb. compromissum. Modest. Pistor. part. 4. quæst. Illustr. 144. pag. 261. Repert. Bertach. p. 1. lit. C. hoc vocab. Rosbach. in Proces. Civil. tit. 14.

### 34. Consequenter. Consecutivè.

Consequens dicitur, quod posito antecedente negotio, necessariò sequitur. Althus. Diceolog. libr. 4. cap. 2. num. ult. Hinc Consequens qui vult, debet etiam vel-

velle necessarium suum antecedens, regula alias satis est cognita, tradita à B. Stahlio part 1. Diff. 12. in jure tamen nostro etiam recepta, ut patet ex §. idemq. Juris. Inst. quib. ex causa manum non licet. §. 1. Inst. qui testam. tutores dari possunt. l. ad rem mobil. l. ad legatum. ff. de procur. l. illud. ff. de acquirend. hered. & indicat hujus Adverbii significacionem; Sicut enim consequens est, quod sequitur ex aliquo illative & argumentando more Logicorum, ita quoque illud consequenter sit, quod necessariò ex prae-  
cedentibus illatione facta fluit, & sunt illa duo Adverbia,  
antecedenter & consequenter tanquam relata, adeò ut  
qui velit unum, censeatur etiam voluisse alterum, sine  
quo id, quod vult, stare non potest. Castreni. conf. 306.  
col. 1. verb. qui autem. lib. 2. Et ita in l. 18. princ. ff. fam. er-  
cise. l. 17. ff. de vi & vi arm. ab Ulpian. usitatum reperitur,  
ubi; Si concubinares amoverit, hoc jure utimur, ut facti te-  
neatur, consequenter dicemus, ubi cuncte cesseret matrimonium,  
cessare rerum amotarum actionem.

Sic quoque recipiens premium vigore transactionis depositarum, consequenter transactionem ratificare dicitur, per dictam regulam, qui vult conseq. &c. Angel. Aretin. conf. 10. viss. actis. n. 21.

Sic petens testamentum insinuari in casu, in quo o-  
mnia testamenta ex forma statuti sunt insinuanda, con-  
sequenter petit etiam testamentum pronunciari vali-  
dum, quia istud venit in consequentiam. Bald. conf. 13. an  
ille qui petit. lib. 2.

Ex prædicta regula infert Carpz. ad Constat. Elector.  
Saxon. II. p. 2. defin. 4. quod confectione inventarii à testa-  
tore remissa, tutor quidem res pupilli privatim consigna-  
re,

re, rationes tamen finita etiam tutela reddere non tenetur, cum remisso fundamento, sc. inventario, & ita necessariò antecedenti remissum quoq; videatur necessarium consequens, & destructo antecedenti corruat consequens. Vid. Valent. Forster. *in tr. de success. ab intell. lib. 7. c. u. n. 4.* Ita quoq; ex nostro axiomate colligitur, quod frumentum in solo alieno etiam ignoranter satum cedat Domino fundi. Ergò ædificium in alieno solo ex sua materia extruens, Domino soli materiam donasse censeatur. *I. ad eò. 7. §. ex diverso. 12. ff. de A. R. D.* Qui enim vult antecedens, idem vult necessarium consequens. Carpov. *respons. juris Elector. lib. 1. tit. iv. resp. 100. n. 5.* Besold. *p. 1. consil. u. n. 86.* Harpr. *ad §. ex diverso. num. 2. Inst. de R. D. & ad §. 2. Inst. de legat. n. 17.* Notandum autem hic est, quod per consequentiam quandoq; quid fieri possit, quod directè est prohibitum. *I. 7. in pr. ff. de autor. tut. I. 27. §. 3. ff. de past. I. 10. §. 1. ff. de usucap. I. 3. C. de judic.* Et effectus in consequentiam prodeentes non attendantur *I. 1. ff. de autor. tut.* Vid. Dn. Praeses centur. regul. 25. n. 6. Deinde sciendum, prædictam regulam nostram procedere, cum necessariò ex aliquo antecedente dependet consequens, & cum consequens absque illo antecedente consistere nequit. Everhard. *in topic. à concess. anteced. ad concess. conseq. n. 3.* Harprecht. *ad §. 5. Inst. de publ. judic. n. 92.*

Breviter usus hujus Adverbii est tantus, ut multa in jure permittantur per consequentiam, quæ aliàs principaliiter non admitterentur. *I. 1. ff. de aut. tut. c. fin. ext. de foro comp.* fluit autem iste solùm ex nobilissima Logica Scientia, quæ sicuti triplex est, naturalis, mentalis & habitualis, ita quoque non solùm iis, qui arte & diligentia talem

talem ex præmissis didicerunt elicere consequiam, scil.  
eruditis, sed & iis, quos ipsa natura, sicuti pueris, & usus  
in vita civili quotidianus, sicuti rusticis notus, quin imo  
valde utilis.

Alias consequens nomen ex Part. à quo etiam ad-  
verb. nost. descendit, in Jure nostro adhibetur in transitionibus, quando nova forsitan materia inchoatur, sicut  
in §. 3. Inst. de suspect. tut. vel cur. §. 6. Inst. per quas pers. cuique  
acquir. & alibi passim. Videatur Card. Tusch. tom. 2. Pract.  
conclus. Juris. conclus. 757. & Schardius in Lexic. Juridico,  
hoc vocab.

### 35. Constanter.

Non tam de actu quam habitu præprimis voluntatis  
hoc Adverbium accipitur, dicitur enim quis tunc con-  
stanter quid agere, quando agit sciens ex proæresi &  
βεβαιως ηγη απελεγνυτες, ut docet Aristoteles lib. 1. Ethic.  
c. 4. & quidem non secundum actum exercitum, sed ra-  
tione actus signati, ut patet ex definitione ipsius constan-  
tia, quam tradidit Lipsius in libro singulari & eleganti de  
Constantia l. 1. c. 4. his verbis: *Constantia est rectum & im-  
motum animi robur, non elatè externis aut fortuitis non de-  
preßi.* Debet itaque, si quis cupit constanter agere, fir-  
mo & immutabili animo, sicut Lipsius d. 1. immotum a-  
nimi robur explicat, agere, & nec unquam aliter, teste  
Dom. Soto l. 3. de Just. & jür. quæst. 2. art. 1. neque enim  
sufficit actus iteratus, cum inconstantissimus possit aliquid  
semel iterumq; facere, sed requiritur illa constantia, quæ  
in omni virtute & actione morali desideratur, & hinc est,  
quod apud JCtos & Moralistas plerumq; hæc duo verba,

V  
con-

constans & perpetuum, conjuncta reperiuntur; exemplum est in definitione *Justitiae*, quam Ulpianus in *I. 10. ff. de Just. & Jur.* habet, quod scilicet constans & perpetua voluntas, ius suum cuique tribuendi; ubi secundum communem Dicitur opinionem voluntas constans ac perpetua idem significat, quod habitus moralis, quippe qui nihil aliud est, quam voluntas ita instructa & confirmata, ut constanter ac perpetuo aliquid agere velit, adeoque quod ita quis vult, etiam, quando opus est, constanter ac perpetuo agat. Sunt tamen Soto, & ex Iustis Paulus Castrensis ad d. l. 10. ff. de Just. & Jur. qui distinguunt illa vocabula: Ait enim Soto, perpetuum dici solum propositum atque intentionem operandi, constans autem addere ejusdem propositi firmitatem, nempe ut homo tali proposito non nutet & vacillet, sed fixum id gerat: à quibus tamen recte recedit Conradus Horneus l. 3. Eth. c. 11. n. 25. cum seqq. qui hoc discrimen aut exile aut nullum esse putat, idemque denotare afferit hasce voces, & alteram alterius declarandæ causæ esse additam, unde recte A. Gelidius l. 17. N. 1. t. f. libertatem vocat perpetuae benignitatis constantiam.

Alias etiam in jure constans usurpatur pro gravi, & opponitur leni, ut patet ex l. observandum. 19. §. 1. ff. de off. pres. unde versas:

*Constans & lenis, ut res expostulat, esto.*

### 36. Consulariter.

Uodus hujus Adverbii valde est infrequens; neque enim in jure, neque alibi apud probatum Autorem, si exceptio Livium, qui semel l. 4. illo usus est, reperiatur, habet tamen eandem, quam Adjectivum *consularis*, quod in

Jure nostro, & quidem interdum substantivè, occurrit, significationem. Sunt autem consulares viri, teste Cu-jac. *in expos. Novell. 105.* nihil aliud, quam exconsules, qui consulatum ordinarium gesserant. *I. 3. §. ult. ff. de recept.* qui arb. *recep. I. 4. C. de Conf. I. XII.* Quoniam verò Romani, teste Alex. ab Alex. *libr. 3. Genial. dier. c. 27.* provincias suas diviserant in proconsulares, ad quas soli mittebantur proconsules, consulares, præsidiales & prætorias, sicuti Carthago, proconsularis erat provincia; Numidia, Libya & Asia citra Taurum, & Cyrena, consulares; Tripolis & utraque Mauritania atque Ægyptus sub præsidibus fuere; Cyprus, Iberia, Sardinia, Sicilia, Illyricus, Achaja, Cre-ta & Bythinia prætoriæ; hinc etiam illi, qui consulatum gesserant, statim mittebantur ad hujusmodi provincias, ut ibi administrarent, & hæc est causa, quare consulares vocentur. *in l. unic. princ. C. ut omnes jud. & l. officium Hel-lesp. C. de off. Comitis sacr. patr.* Provinciarum moderatores & rectores. Referebantur autem isti cum corre-tore Apulia & Calabriæ, aliisque, quorum meminit Ju-stinianus *in tit. C. de off. pref. prætor. Afric.* inter clarissimos, & ista clarissimus dignitas licet ad fœminas transiret, vi-ro tamen fœmina in dignitate non præferebatur, ut testis est Ulpianus *in princ. l. i. ff. de Senatoribus;* ubi consulari fœminæ, utique consularem virum præferendum, nemo est, qui ambigat; Sed quæritur, Præfectorius Augustalis, præferaturne consulis uxori? Videtur dicendum per rationem generalem, quod sic, quia major est dignitas in sexu virili, & regulariter viri melioris sunt conditionis quam fœminæ, licet nonnunquam hæ illis, quos casus post alios notat Philipp. Dec. *ad l. fœmin. 2. ff. de R. J.* Et hoc

V 2

non

non procedebat solum de foeminis sive uxoribus virorum  
consularium, verum etiam de liberis; fruebantur quippe  
filii dignitate patris. l. 5. l. 6. l. 7. & 8. ff. de Senator. licer  
post patrem consulatu motum nati, modo ante concepti.  
d. l. 8. §. 1. & l. 2. §. 3. de Decurion. Videatur Magnif. Dn.  
D. Struv. Ex. 4. th. 6. ibid. in dictatis. Cur autem dignitas  
filii consularis non transeat ad matrem, cum tamen di-  
gnitas Patris transeat ad liberos, & dignitas viri transeat  
ad uxorem, potest videri Speckhan. c. 2. Clas. i. quest. 8.

### 37. Contestatō.

Adverbium hoc imitatur naturam verbi contestari,  
a quo descendit, quod significat testibus adhibitis aliquid  
declarare, l. 1. ff. quod jussū, & occurrit in l. 1. §. 12. ff. de li-  
ber. agnos. ibi: Julianus libro nonodecimo digestorum scri-  
psit: quod Senatus consult. comprehensum est: si mulier vi-  
ro denunciaverit, se ex eo concepisse, & is, cui denunciatum-  
erit, custodes ad ventrem custodiendum, inspiciendum, non  
misericet, neg. contestatō dixerit, eam se pragnantem non esse,  
ut ei id, quod editum sit, agnoscere sit necesse; non eo pertinet,  
ut si quis agnoscere se filium diceret, suum heredem haberet,  
quamvis ex alio conceptus sit. Significat ergo contestatō  
dicere in nostro §. nihil aliud, quam coram testibus dice-  
re, quod etiam probat Gothofr. in notis. sicut etiam Subst.  
contestatio sumitur pro testatione. l. 20. §. 8. qui test. fac-  
possunt.

Usum habet alias in materia Litis Contest. insignem,  
quam hinc etiam eleganter Rota decis. 6. n. 7. de Litus cont.  
dicit esse testationem sive mentis declarationem testibus  
præsentibus, volentium litigare: Si quis enim judicium  
accipi-

accipere, & rem controverlam seu litem, (vulgò enim in usu forensi lis ipsam causam, vel ipsum negotium designat) in judicium deducere cupit, debet id facere contestatò. Monach. in pr. judic. p. 7. c. 1. n. 4. Si enim hoc non facit contestatò, judicium non est firmum, & recusationi adhuc est locus, possunt quippe opponi exceptiones contra auctorem, quod non habeat personam standi in iudicio, & alia fori declinatoriae; quin immo propriè lis non est, antequam contestatò fiat, seu contestetur, sed controversia. l. 225. §. sc. ante. ff. de petit. hered. Et hinc est, quod litis contestatio, (die Krieges Besitzung) sit fundamen-  
tum cuiuslibet judicij, adeoque de ipsa ordinis judicarii substantia, ita, ut ne partium quidem consensu nec judiciis autoritate omissi possit, sed omissa vitiet processum, & sententiam latam reddat ipso jure nullam. per tex. in e. unic. de litis cont. cum enim secundum Rot. decis. 4. de litis cont. sit juris publici, pactis privatorum non poterit mutari. l. 28. ff. de pactis. Solet autem ista litigantium contestatio litis fieri unius affirmatione, & rotunda alterius negatione, unde etiam fluit recepta Dd. divisio L. C. in affirmativam & negativam, quam tamen non probat Scotanus in Exam. Jurid. part. 2. p. 267. Et certè verum est, una tantum est negativa, semper enim contradic-  
desideratur, l. unic. C. de L. C. l. 14. §. 1. l. 73. ff. de procur. Si enim partes consentiunt inter se ipsas, lis non est, conse-  
quenter nec litis contestatio. Videatur Rosbach. in process. tit. 49. n. 6. & seqq. Si itaque actor coram judge, affirmativè rem controversam narrat, hac formula: Ich sage/dass das Fürbringen in meiner Klage begriffen/wahr  
sey/ und nach Inhalt meiner Begehr geurtheilet werden sol.

reus vero narrata negat, Ich bin der angeführten Klage  
inmassen sie mit allen ihren Umständen vorbrachte nicht ge-  
ständig / und kan also / wie darinnen gebeten / nicht erkant  
werden. vel ad narrationem verbis respondeat, vera erit  
L. C. nec opus est, ut adjiciantur verba, animo litem con-  
testandi. Responsio enim rei præsumitur, fieri animo  
litem contestandi, nisi præmissa sit protestatio, quæ aliud  
demonstret. Monach. d. l. c. 2. n. 2. Et hæc litis contesta-  
tio debet esse conformis libello, eique correspondere.  
Berlich. p. 1. conclus. 26. n. 13. § 15. Carpzov. in process. tit. 10.  
art. 2. §. 4. n. 32. & de jure communi, mediante jüramen-  
to dandorum & respondendorum fieri, de jure Saxon.  
autem non generaliter, sed specificè, & clarè, & sine ullo  
appendice vel ambage. Carpzov. d. l. art. 3. Quæ autem  
fit per voculam nescio, pro negativa habetur. Id. ibid. n.  
42. etiamsi quædam libello apponantur, quæ tamen aliena  
sunt, & negotium controversum non tangunt, ad ea  
reus respondere non tenetur. Id. d. l. n. 59. Effectus litis  
contestationis recenset Monach. d. l. cap. 7. Quæritur  
autem occasione hujus Adverbii, An ante L. C. libellū mu-  
tare liceat & quod affirm. tam in causis civilibus quam cri-  
minalibus, die Klage mag für beschlechter Kriegs Besefsis-  
gung verwandelt / gemehret und gemindert werden. Bart.  
Alex. Jason. & communiter Dd. ratio, quia judicium non-  
dum est coeptum, propriè enim secundum communem  
opinionem judicium demum à litis cont. incipit, & in-  
stantiæ quis obligatur, adeò ut ea discedere & amplius  
poenitere non possit. Sed quid faciendum, post L. C.  
posset quis ulterius quærere? recepta responsio est ex jam  
adducta ratione, non licere quoad substantialia scil. Af-

firmat

firmat tamen & hoc Magnif. Dn. D. Struve *Ex. 5. tb. 41.*  
dicendo licet esse libelli errorem corrigere usque ad  
sententiam latam, *arg. §. 34. & 35. Inst. de Act. I. 3. C. deedendo.*  
modò refundantur expensæ, & detur reo ad deliberan-  
dum spatium. Videat. Scotanus *Diss. 13. tb. 26.* Hæc oc-  
casione hujus Adverbii dicta sunt.

### 38. Continuō.

Adverbium hoc est temporis, & idem significat, quod  
statim vel in continent, sicuti patet ex *cap. ceterum. des*  
*rescriptis. I. 38. §. Gajus Sejus 3. ff. de liber. caus. I. 1. §. 1. ff. pro*  
*socio. ibi: In societate omnium bonorum omnes res, quæ*  
*coœuntur sunt, continuo communicantur. Recipit*  
*tamen hoc aliqualem interpretationem secundum arbitrium*  
*juris, & sumitur aliquando pro eo, quod sit cum*  
*aliquo tempore in intervallo. capit. fin. de V. S. in 6to.* Videat-  
tur Alberic. de Rosate in dict. hoc vocab. Albert. de Per-  
gamo in *Tract. prepos. n. 45.* Dn. D. Doring. in *Bibliothec.*  
*Jurec. voc. Adverb. n. 27.*

### 39. Continuē.

Convenit quidem Adverbium hoc in aliquibus cum  
præcedente, ut rectè notat Johann. Bertachinus in *Repert.*  
*part. 1. hoc ipso vocab.* interim tamen in multis quoque re-  
cedit, quæ causa est, cur sigillatim id tractaverimus. De-  
notat autem idem, quod semper, perpetuo & assiduè a-  
deoque non videtur planè ullam admittere intermissio-  
nem, sicuti patet ex voce Germ. *ohnumterlässlich / unauf-*  
*hörlich.* Ab isto tamen rigore interdum etiam recedit,  
& dicitur quoque id continuè factum, civiliter tamen,  
quod habet interiectum modicum temporis intervallum  
per

per c. nunquam. de consecrat. dist. s. l. sic uig. & ibi Bart. n. 3. qui generaliter notat, quod verba civiliter intelligi debent. ff. de servit. Rebuff. in tract. de privil. univers. in priv. 23. per tot. Anton. Bardus tr. de temp. util. & cont. c. 3. n. 12. ubi addit, etiam id, quod ut plurimum sit, dici solere continè fieri. Et hoc nunc facere videtur pro testibus, qui dicunt, se vidisse aliquos quotidie seu continuè posseditse per decennium, ut dictum eorum non reprobetur, licet per aliqua modica temporis intervalla eos non viderint possidentes. Abbas in cap. cum causam. de Elect. Sic continuè dicitur quis esse commensalis, civiliter & secundum usum patrisfamilias, etiamsi quandoque abfuerit, & vivat expensis suis. Clar. conf. 88. per tot. Ita quando Apostolus 1. ad Thessal. s. v. 10. jubet, ut continuè seu sine intermissione oremus, non vult, ut mens manusque ab operibus necessariis ac honestis cessent, continuum quippe illud orare ad certas horas ac tempora competentia restrin- gitur, per c. 2. de off. Archipresb.

Sic quoque procedit de iis, quibus privilegium de comitatu concessum, si per decem annos continuè habitaverint in civitate, nam etiamsi habitantes civitatem tempore messis & vindemiarum iverint in comitatu cum familia ad faciendum recollectas, tamen ex quo reversi sunt tempore ad civitatem, dicuntur continuè habitasse. Joh. de Imol. conf. 9. in fin. ubi, quod modicum tempus non consideratur. Illud autem, de quo dixi, modicum tempus non uno eodemque modo accipitur, extenditur quippe interdum & restringitur, hinc & dicitur continuè id fieri, quod semel fit in anno, cap. ex part. & ibi not. ext. de cens. quod diu fit, l. continuus 137. ff. de V. Obl. l. sancimus.

§. 2. C.

§. 2. C. de administ. tut. & quod diebus debitis seu tempore congruenti. c. 2. de off. Archipresb.

Quamvis itaque multis materiis in jure nostro utilibus Adverbium hocce nostrum inserviat, usum tamen præprimis suum exhibet insignem in materia usucapionis famosa, cum referatur inter essentialia ejus requisita, præter traditionem enim bonam fidem & alia etiam requiritur, ut continuè per tempus lege definitum in l. unic. C. de usucap. transf. quis possideat, juxta vulgatos versiculos:

*Non usucapies, nisi sint tibi talia quinq;*

*Bona fides, justus titulus, res non vitiosa,*

*Quod res tradatur, tempus quoq; continuetur.*

Debet autem rei mobilis possessio de jure civ. continuè durare per integrum triennium, rei verò immobilis, & quidem inter præsentes continuè per integrum decennium, inter absentes verò per vicennium. *princ. Inst. de usuc.* & long. temp. presc. quod jure canon. quoque verum est. *c. sine posse. 3. ibiq. Dd. de R. I. in 6to.* à quo non recedit Jus Saxon. per text. *Landrecht lib. 3. art. 20. s. ex mag* auch. & Novell. Elect. August. part. 2. Const. 7. nam si usurpata, i. e. interrupta fuerit sive naturaliter possessione rei verè in aliud translata. *l. 4. s. 22. l. 15. ff. de usucap.* & usurpatione sive civiliter per litis contestationem. *l. 10. C. de usuc. transf.* ipsa usucapio interrupta & interpellata censeretur. *l. 10. C. de* *acquir. posse.* notandum tamen, quod hæc cum grano sa- lis sint accipienda, interdum enim quamvis reverè interrupta sit, continua tamen nihilominus adhuc singitur, ut in heredibus & bonorum possessoribus contingit. *§. 7. Inst.* *de usucap.* & long. tempor. presc. ubi Borch. Vultejus &

Schneidevv. & hoc ipsum singulari jure receptum est benignè, cùm alias possessio, ne in suos quideni hæredes ipso jure continuetur, sed nova apprehensione opus sit. l. 23. ff. de acquir. pos. Continuatio autem ista locum habet non in universalis tantum successore, qualis est hæres & b. f. possessor, sed in particulari, puta legatario, emptore, donatario. §. 8. Inst. de usucap. & L. temp. presc. & computatur, ut supra dixi, solummodo civiliter, non autem naturaliter seu de momento ad momentum. l. 6. ff. de usuc. & usurp. l. penult. ff. de divers. & tempor. presc. non obs. l. 6. ff. de O. & A. Videatur Connarus<sup>3</sup>. Comment. 12. pertot.

Alias usum suum habet in materia restitutionis in integrum, quando de petendi ac finiendi tempore agitur, quod quadriennium continuum communiter constituitur, computatum à tempore cessantis absentia, similisve impedimenti. l. fin. pr. & §. 1. C. de temp. in integr. refit. Vid. Magnif. Dn. D. Struve Ex. 8. tb. 83. Dn. Joach. Schnobel Diff. 4. tb. 7. Plura potuisse occasione hujus Adverbii de tempore continuo asserre, sed cùm brevitas, cui studemus, & institutum non permittant, convertimus nos ad alia.

#### 40. Contra.

Particula hæc, ut alias, ita quoque in jure nostro Adverbialiter usurpatur; licet enim sua natura sit præpositio, regens accusativum, tamen quoniam interdum amittit casum futum, etiam degenerat in Adverbium, secundum regulam Schmidii in Grammat. sua de Prop. c. 2. Quando Præpositiones amittunt casus, ant cum aliis præpositionibus sine casu junguntur, sunt Adverbia; hinc absurdum non est

unam

X

vnam eademque vocem esse Adverbium & præpositio-  
nem , teste Goelenio in *Analect. lib. 2. Controv. & Schol.*  
*Grammat. Quæst. An una eademq; vox possit esse Adverb. &*  
*Conjunct. 37.*

Quando itaque adverbialiter sumitur, solet ad diffe-  
rentiam præposit. præprimis si in sensu adhibetur intricata,  
cum accentu notari, & est ferè semper antitheseos nota,  
significans ex diverso, sicut occurrit in l. 25. §. contrā.  
10. ff. fam. ercif. l. 23. in princ. ff. de recept. qui arbit. recep.  
§. i. Inst. quibus alienare licet vel non. & alibi. Ponitur ta-  
men interdum etiam pro vicissim, ut patet clarè ex princ.  
Inst. Q. A. L. V. N. quod etiam probat purissimus linguae  
latinæ Scriptor, P. Manutius, qui in Epist. quadam ita scri-  
bit : *Fratres habet mea uxor duos, quos ego ambos unicè dili-  
go, contraq; ipsi singularem, non modò benevolentiam,*  
*verùm etiam observantiam præstant.*

Præpositionem quod attinet, sciendum obiter illius  
usum in Jure esse frequentiorem, quin & utiliorem, cùm  
in formulis & axiomatibus jure receptis occurrat ; Sic  
quando dico contra bonos mores est, & contra æquita-  
tem, frequentes in jure sunt formulæ, quibus publicam  
honestatem lædi significamus.

Ita contra legem facit, qui facit, quod lex prohibet.  
l. 29. de V. S. contra edictum facit, qui prætore vetante fa-  
cit. l. 102. ff. de R. I. contra constitutiones judicatur, cùm  
de jure constitutionis, non de jure litigatoris pronuncia-  
tur. l. 1. §. item cum contra. 2. ff. que sententie sin. appell. re-  
scin. Plura de hac Præpos. legi possunt apud Johann. Ber-  
tachin. in *Repert. suo part. 2. Lit. C. hoc ipso voc.* & Albert. de  
Perg. tract. de Præpos. n. 15. hic nihil ulterius adjicimus, ne

videamus falces nostras mittere in alienam messem, memores potius instituti pergitimus ad reliqua.

#### 41. Contrariè.

Adverbium hoc imitatur naturam sui adjektivi; Contrarium autem est, teste Cicerone *de Invent.* quod possum in genere diverso, ab eodem, cui contrarium esse dicitur, plurimum distat; sicut videre est ex contraria actione, quæ directæ opponitur, directa enim recta & immediatè ex ipso contractu verit, contraria verò contra primam contractus naturam conceditur, adeòque ex nullo propriè contractu. *s. igitur. §. tutores. Inst. de Oblig.* quæ quasi ex contr. nas. Usum habet alias insignem, præprimis in didacticis, omnes enim fermè se aliquid compendiosè proponere volunt, faciunt illud per contraria, e. gr. qui cupit proponere, quid sit justitia, ponit prius, quid sit iniquitia, & rectè: cognito enim uno contrariorum, etiam cognoscitur alterum, & hoc ipsum etiam observâsse videatur Justinianus *in princ. Inst. de bis*, qui sui vel alieni juris sunt; cum enim cupidæ legum juventuti vellet proponere, quid sint homines sui juris, prius ostendit per contrarium, quid sint homines alieno juri subjecti, dicit enim: Videamus itaqe de bis, quæ alieno juri subjectæ sunt, nam si cognoverimus, quæ istæ personæ sunt, simul intelligimus, quæ sui juris sunt, & hoc inde, quia contrariorum eadem est ratio & disciplina, ut notant Dd. hic ad tx. nostrum. & l. i. ff. de bis, qui sui juris &c. Sic quando contractus & debitum probatur per scripturam ex necessitate, ut quia ita fuit conventum, quod contractus fieret in scriptis, vel quia sumus in casu, in quo lex requirit scripturam, eadem forma debet servari in distractu vel solutione, ideò solu-

tio

tio emphyteusis vel debiti celebrati in scriptis pacto con-  
trahentium, non probatur legitimè per testes, quia talis  
contractus requirit scripturam. Bald. *conf. 220*. Ita sicut  
mala fama scribentis scripturā, videlicet quod sit solitus scri-  
bere falsas scripturas, vel mala fama producentis, vel abra-  
sio reddit suspectam scripturam de falso; ita bona fama  
scribentis vel producentis, aut integritas scripturarē con-  
trarium operatur: Idem Bald. *conf. 398*. ubi, quod con-  
trariorum eadem sit disciplina. Notandum tamen, quod  
contraria nunquam simul possint stare, *l. ubi repagn. ff. de R.*  
*J. solicitudinē. c. de accept.* Hinc nō potest quis esse hæres ab  
intestato & ex testamento, quia aliquem esse testatum &  
non testatum sunt contraria. Occasione hujus Adverbii  
quæritur, an contrarietates seu antinomiae, h. e. legum  
repugnantiæ inveniantur in jure nostro civili? quod ne-  
gatur. Nullam enim dari vel demonstrari posseliquidam  
& certam in Jure nostro contradictionem statuimus, idq;  
hoc propter mandatum & scopum Justiniani, *in conf. Hec*  
*qua. §. quibus. 2. de nov. Cod. fac. Conf. cordi nobis est. §. su-*  
*pra dictis. 3. de Emend. Cod. l. i. §. 8. C. de V. J. E.* Si quid e-  
nim occurrit, quod non benè videretur aliis locis responde-  
re, satius est agnoscere nostri ingenii, judicijque hebetu-  
dinem, quam autores juris, qui grato animo magis ex-  
cusandi sunt, oscitantæ ac studii rerum malarum insimu-  
lare, ac iniquè criminari. Et licet non negemus, in jure  
nostro nihil esse sine controversia, secundum Tiraquel.  
*de retract. conven. §. 1. gloss. 2. n. 24.* quoniam tamen culpa  
penes nos latet, cum aliquando ex obscuritate legum, ali-  
quando ex studio contradicendi, aliquando ex ostentatio-  
ne & cupiditate gloriæ non paucis ingenita, aliquando ex  
imbecillitate humanitatis, aliquando ex ipsa veritatis cre-

dulitate talismodi orientur controversia, non nostris placitis leges, sed legibus, quas invenimus, placita subjici oportet. Nostrum itaque non erit, Jura tantis laboribus congesta; injuriosè rejicere, atque corrigere, demus potius aliquid justæ interpretationi, diversitati materialium, factorum & personarum. Dissentient alias præstantissimi interpres, inter quos Eguin. Baro *in so. de cī. Iust. Connan. 1. comment. 15. n. 4. in fin. Donell. 8. comment. 11. Duaren. in l. fruct. §. si fundum. ff. solut. mat. Covarru. 1. var. resolut. 3. num. 7. & alii, quos allegat Scotan. Disp. 3. th. 3.*

#### 42. Contumaciter.

Longo intervallo repetens S. Jurisprudentia studium invenio elegans Adverbium esse contumaciter, & ejus usum, quem non uniusmodi ex Practicis observavi, minimè esse negligendum. Sumitur autem vel generaliter vel specialiter: Generaliter pro omni eo, quod fit ex inobedientia cum contemptu potiorum seu superiorum, quo modo circa omnes judicij partes versatur, & dicitur is recte, qui à Judice satisdare vel respondere iussus est, & satisdare vel respondere detrectat, vel obscure vel dubiè respondet. *l. de etate. §. nihil. ff. de interrogat. in jure fac. vel juramentum præstare recusat. l. manifesta turpitudinis. ff. de Jure Jur. contumaciter agere, vel contumax esse. Gail. l. 1. Observ. 80. num. 1. & 2. specialiter, (quæ acceptio propter usum forensem notior) pro obedientia determinata, quæ sc. provenit à legitimè citato in judicium erga judicem, & hoc modo dicitur quis contumaciter facere, qui tribus editis propositis vel uno pro tribus,*

tribus, quod vulgo peremptorium appellatur, literis evocatus vel denunciationibus conventus, præsentiam sui facere contemnit. *l. contumacia. de rej. jud.* Sicuti autem contumacia hoc modo accepta alia est vera, alia præsumpta, ita quoque dupliciter quis contumaciter agere dicitur, scil. verè & ex præsumptione. Verè, cùm quis tribus edictis vel uno, ut dictum, peremptorio citatus fuerit; & in ejus notitiam pervenerit, & comparere noluerit. *per l. ad peremptorium 68. cum tribus LL. seqq. ff. de Jud. ubi tamen notandum, quòd comparatio sola à tali contumacia non excusat, non enim sufficit, comparere coram Judice, sed etiam necesse est cùm ejus venia recedere, aliás iste recessus pro contumacia vera habetur. cap. prout. ext. de dol. & contum. cap. certum. II. quest. 3.* Ex præsumptione quando quis latitat, quo minus ipsi citatio insinuetur, tunc enim quoque quis pro citato & contumace habetur, *arg. l. Fulcinius. 7. §. 45. & 7. ff. quib. ex caus. in pos. præsumitur quippe, quia in absentiā ejus ad domum facta fuerit citatio, notitiam citationis ad eum pervenisse. Illicon. Ummius Diff. 5. tb. 13. n. 7. ibique allegatus Fich. 2. cons. 140. n. 35.* Ut autem quis verè dicatur contumaciter agere, seu ut ipso jure efficiatur contumax, requiritur (1.) Ut cœtetur; utique enim citatio, seu ius vocatio debet præcedere, cùm principium judicii & essentialis processus pars sit, §. ult. *Inst. de pena tenuerè litig.* Gail. 1. Obs. 48. n. 1. præprimis quotiescumque actus expediendus causæ cognitionem desiderat, & absenti præjudicio esse potest. Hart. Hart. 3. *Observ. 2. n. ult.* Mart. 2. *de Jurisdict. cas. 173. n. 4.* Hinc, quando queritur, si jam præsens sit reus, an, licet non præcesserit citatio, teneatur respondere? *Rectè Resp. non*

non teneri. arg. l. 2. §. 3. de Jud. l. 29. de min. Gail. l. Obsrv.  
 48. n. 4. Welenb. ad tit. ff. de in jus vocando. Scotan. Disp.  
 13. tb. 19. (2.) Ut à COMPETENTE JUDICE; alias citatus  
 à Judice, qui illius jurisdictioni subjectus non est, com-  
 parere non tenetur. l. fin. 20. ff. de Jurisd. ibi : Extra ter-  
 ritorium jus dicenti impunè non paretur. (3.) UT LE-  
 GITIME : sc. tribus edictis propositis, vel uno perempto-  
 rio; hinc licet sententia partibus hoc modo non vocatis  
 feratur, tamen verum manet, quòd sit & maneat nulla\_.  
 l. 4. & ibi Dd. C. de accusat. etiam si ea in favorem non citati,  
 lata sit, Jason. in l. nec quicq. §. ubi decretum. ff. de off. pro-  
 conf. (4.) REQVIRITUR, UT CONTUMACIA IN JUDICIO AB  
 ADVERSARIO ACCUSETUR, dñs die Ungehorsams Beschuldig-  
 gung ausgebracht werde; ut maximè enim non compareat  
 citatus statuto termino, si tamen ejus contumaciam non  
 incuset altera pars, citatio circumducitur, & pro nulla ha-  
 betur. l. 73. §. 1. de judic. neque judex super ea procedit.  
*Specul. de cont. §. 3. n. 11.* Sciendum tamen, quòd sint cer-  
 ti casus, in quibus etiam absque illa petita declaratione,  
 contumacia contrahitur, prout apud Wesen. in com. ad l. 13.  
 §. censemus. n. 15. in fin. videre est: nemo verò peti debet  
 contumax declarari nisi toto die effluxo, ad quem absens  
 citatus. König in Proces. cap. 35. tempore autem hoc præ-  
 terlapso rectè adversa pars præsens, contumaciam absen-  
 tis incusare potest, & quidem tali formula, si actor con-  
 tumaciter agat. Erscheinet hiermit Beklagter gehorsam-  
 lich / und nach dem Kläger auf seine ausgebrachte Vorla-  
 dung / und auf heut angesetzten Termin nicht erscheinet / viel-  
 leich aus Ursachen / dass er selbst zu seiner vermeinten An-  
 forderung / damit er rechtlich fort zukommen ein Misstrauen  
 hat/

hat / so beschuldiget Beklagter desselben contumaciam ,  
und ist des ungezweifelten Verhoffens zum Rechten / daß  
er von wegen des begangenen Ungehorsams und Aussenblei-  
bens von diesem Gerichtstand / und also ab observatione &  
instantia judicij mit Wiederkehrung und Erstattung der  
Gerichtes Kosten zu entbinden &c. (s.) TANDEM DESIDE-  
RATUR , ut accusatus contumax à Judice condemnetur in  
contumaciam ; non enim habetur prius pro contuma-  
ce , quam actore petente & instantे à judice talis sit decla-  
ratus . Spec. tit. de cont. s. sequitur . hinc etiam est , quod li-  
cet consultor viderit contumaciam in actis , sine declara-  
tione judicis , non possit tamen contra eum consulere ,  
tanquam contra contumacem , teste Bald. Conf. 332 .

Si itaque usquam quid est , quod possit Juris Practi-  
co & consultori prodesse , certè hujus Adverbii nostri e-  
voluta significatio erit , docet enim processum inchoatum  
feliciter continuare , variasque inde provenientes quæ-  
stiones resolvere , inque succum & sanguinem converte-  
re ; Etsi verò omnes sua non destiruantur utilitate quæ-  
stiones , propterea consideratione dignissimæ , qvum ta-  
men duæ tantum ex omnibus familiam ducere videantur ,  
operæ pretium mihi visum fuit , eas hic summa brevitate  
adjicere .

Quæritur itaq; I. Quomodo is , qui agat contumaciter ,  
possit coerceri ? Resp. variè ; cùm enim quandoque  
actor , quandoque reus sit contumax , etiam ex jure civili  
& judicio Cameræ Imperialis , tūm contra actorem , tūm  
reum contumacem proceditur , ubi tamen ante omnia  
videndum , an ad simplicem vel ad peremptoriam cita-  
tionem , aut ante vel post litis contestationem contuma-  
citer

citer egerint. Si enim ante L. C. actor ad simplicem citationem non comparuerit, in expensas tantum condemnatur, & ad ulteriorem citationem non admittitur, nisi de comparendo imposterum in judicio cautionem dederit. *l. 79. ff. de Jud. cap. 1. xt. de dolo & contum. in. 6.* quod si ad tertiam instantiam vel unam peremptoriè factam, ante litem contestatam non venerit, tribus vicibus intra 30. dierum spacia citandus, & per annum ad veniendum & prosequendum processum expectandus. Etsi intra annum veniat, non auditur, priusquam expensas à reo factas solvit, & de sistendo in judicio idoneè caveat. *König in Proces. c. 36.* Sin verò & isto anno venire neglexerit, judex instantे reo allegationes ejus audire, testes recipere, & de causa definitivè pronunciare potest. *Autb. qui semel. ubi Bart. C. quomodo & quando Judex. Vid. Illico. Ummius Disp. ad Proces. 6. th. 2. n. 9. & 10. König. in Proc. d. l. Rosbach. in suo Proces. Jud. tit. 30. de Contum. & hoc quoad actorem contumacem, non solum ante, verum etiam post L.C. procedit.*

Quod reum attinet, is, licet ferè cum actore pari passu ambulet, (nam ad simplicem vel peremptoriè factam citationem in judicium non veniens in expensarum refusionem itidem condemnatur. *l. properandum. C. de Jud.*) interim tamen adhuc latet aliqua differentia, quia major est contumacia actoris quam rei, eoque magis favemus reo, quo instantē potest fieri sententia, etiamsi lите non contestata, actore contumace, non ita contra reum. Atque ita contra contumacem, tum actorem quam reum Jure Civili proceditur; In Camera alia observantur forma, si enim actor ante Litis Contest. contumax fuerit,

erit, tunc reus tribus effluxis juridicis, vel absolutionem ab instantia judicii aut termini, vel proposito libello, factaque L. C. de causa principali ut cognoscatur, petere potest, post L. verò C. reo instantे probationibus ad sententiam procedi, & prout causæ exigit veritas, pro actore vel reo pronunciari debet, ut tamen contumax expensarum poena semper mulctetur. Vid. Ord. Camer. part. 2. tit. 18. cum seqq. Gail. 1. Obs. 50. cum seq. Mynsing. cent. 4. Obs. 66. Reus autem quando contumax est, actor, petito proclamate & effluxis tribus juridicis contra reum hisce tribus modis procedere potest, (1.) Vel ad Bannum : Ordin. Cam. part. 2. tit. 18. (2.) Vel ad causæ cognitionem & decisionem, usque ad sententiam definitivam. (3.) Vel ad immissionem in possessionem juxta actionis conditionem ex primo vel secundo decreto : De Jure Saxonico in contumaciter agentem ita proceditur, reo citato non comparente, actor contumaciam ipsius accusat usque ad legitimū impedimentū *bis auf Ehehafften* / & nisi reus postea legitimū impedimentū probet, mulctatur damno litis & condemnatur in petitionem adversario, sin verò aliquod legitimū impedimentū, propter quod ad judicium venire non potuit, judici significet atq; probet, nullo modo contumaciter egisse videtur, hincq; etiam poenam contumacis evitat.

Quæritur (II.) *An & quomodo contumaciter agens habetur pro confesso?* Resp. Etsi quidem videatur manifeste confessus. ex l. 38. ff. de Jurejurando. tamen cùm in causis civilibus, tūm criminalibus nemo habetur pro confesso, nisi seqvuta provincia super hoc, vel sententia, quod sit confessus. l. ejus, qui dilatorem, 29. ff. de jure fisc. Bart. &

Bald. in l. generaliter. §. sed juramento. n. 4. C. de reb. cred. quoniam verò contumacia est delictum factum, non verum, statutum, quod contumax habeatur pro confessio, de delicto facto, non vero debet intelligi. Bald. in l. si filio. ff. solut. matrim. Marsil. in praxi. §. postquam. n. 12. Et hæc de hoc utilissimo Adverbio; Plura possunt legi apud. Johan. Bertach. part. 2. Lit. C. hoc ipso voc. Card. Tus. Tom. 2. Pract. conclus. 1024. cum seqq. & Ilic. Ummium Disp. ad Process. 6. de contum.

### 43. Contumeliosè.

Cùm Adverbium hoc nostrum secundum princ. Inst. de Injur. idem quod injuriosè significet, nolumus hic, ne crāmen bis coctam hoc in opere apponamus, illud prolixè exponere, sed mittimus tantum B. L. ad dictum Adv. injuriosè, quod infra venit explicandum.

### 44. Convenienter.

Adverbium hoc Convenienter idem significat quod congruè, aptè, accommodatè & consentaneè, habetq; tantum in Jure nostro usum, ut ipse Tiraquel. de retract. convent. §. 2. gloss. 3. n. 30. dicat, nihil in jure esse factum, quod non convenienter effectum.

Sic Prætor convenienter jus reddere dicitur, etiam si inique decernat, l. penult. ff. de Just. & Jar. l. 65. §. 1. ff. ad SCUTUM Trebell. scil. si formaliter ritè saltem procedit, servato juris ordine, & aliqua causæ cognitione adhibita pro tribunali, præsumitur enim pro magistratu autoritate rerum judicatarum, quæ tanta est, ut pro veritate habeatur. l. 25. ff. de stat. hom. l. 3. §. 2. de rebus eorum, qui sub tutel. l. 1. pr. ff. que sent. sine appell. l. 29. §. 1. ff. de statu lib.

Alias

Alias quando contra jus ipsum, contra iacras constitutions & leges pronunciat, non convenienter jus reddit, hincque sententia ejus est ipso jure nulla. *l. 19. de appell. l. 1. §. 2. ff. que sent. sine appell. res. factum enim prætoris juri derogare non oportet. l. 1. §. 1. ff. de feriis.*

Ita legibus convenienter vivit. *l. 29. ff. de LL. l. 102. de V.S. qui non contra externam formam seu expressam legis prohibitionem facit: Leges enim externa tantum obedientia contentæ sunt, nec mentis aut voluntatis requirunt ita. arg. l. 18. ff. de pœn. cum ea in hac nostra depravatione impossibilis sit, impossibilia autem legi præcipi nec possint aut debeant. l. 183. ff. de R. J.*

Sic quoque convenienter agit, qui in pœnis infligendis justam proportionem seu æquitatem obseruat, pœnae enim non distribuuntur ut aliquid, quod commune est civibus quatenus civibus, seu quod pluribus simul circa eandem rem jus habentibus pro cuiuslibet rata distribuendum venit, inter singulos, qui omnes inde quid participant; Sed quod huic vel illi delinquenti conveniens suo delicto singularis irrogetur pœna. Magn. Dn. D. Struve *Exert. I. th. 27. ibid. in dict.* Hinc est, quod pœna triremium non posset imponi pupillo vel mulieri vel debilitate brachiis, quia non possunt remigerare, talis enim pœna non congruit, neque convenient; Lex itaque vel statutum loquens de uno genere personarum, & extendens dispositionem ad aliud genus, intelligi debet, ut habeat locum secundum ea, quæ congruunt & convenient per sonis, ad quas sit extensio. Gemin. *Conf. 73. n. 10. Card. Tusch. Pract. Conclus. Jur. Tom. 2. conclus. 732.* Quoniam autem hac in imbecillitate, ubi externo ut plurimum opus est imperio, &

Y 3 homi-

homines legibus tenentur vivere , secundum §. 1. in Pro-  
œm. Inst. cùm, licet communia licti & illiciti principia.  
hominibus natura sint indita , ad turpia & injusta perversi  
mortaliū animi magis inclinent , convenientia debita  
semp̄ requiritur , nullusque actus in vita civili legitimus , qui non convenienter fiat , peragi debet , appetit u-  
sum hujus Adverbii esse notissimum , ut adeò hodiè nul-  
lus , si modò ζαον πολιτειαν , inveniatur , quem utilitas hu-  
jus Adverbii latere possit ; Isthmum itaque perfoderem  
& laterem lavarem , si plura de hujus Adverb. præstantia  
adicerem , lubet solummodò B. L. ad quotidianam re-  
mittere conversationem .

#### 45. Copiosc.

Vide sis , quæ dicta sunt supra ad Adverbium A-  
bundanter .

#### 46. Copulate.

Propter nimiam in Jure frequentiam , & singularem  
inibi usum , nemo forsitan erit , qui nesciat , hoc Adverb.  
plurium coniunctionem denotare ; quoties igitur par-  
ticula ista occurrit , oratio sumitur ex universo , & non  
verificatur , si unum deficit ex universis . Castr. conf. 211.  
ver. secur. lib. 2. hinc Regula JCtorum est verissima : Quan-  
docunque plura copulativè requiruntur ad aliquid dispo-  
nendum , non sufficit unum tantum intervenire . 1. si ha-  
red. ff. de cond. inst. Johann. de Anania conf. 32. ultra alia.  
n. 7. Riminald. Jun. conf. 600 n. 10. Roman. conf. 166. Sic ,  
quia , ut aliquis in fraudem creditorum manumisisse di-  
catur , duo copulativè requiruntur , & animus fraudan-  
di , & ipse damni eventus . §. 3. Inst. & 1. 10. §. 1. ff. que in-  
frau-

*fraudem cred.* non sufficit unum horum, ut quis rectè inde in fraudem creditorum manumisſe dicatur. B. Dn. Ludvvel. in *Com. ad S. 3. Inst.* cui & quibus ex causis manu-mittere non licet.

Ita in pluribus alternativè copulatis, ut si statutum requirat duos consanguineos in contractu minoris, vel duos affines, non sufficit, si unus consanguineus & unus affinis intervenerint, si extabunt duo consanguinei & duo affines. Angel. *Conf. 160. n. 3. usq; ad finem.*

Sic quoque in substitutionibus factis, si v. gr. testa-tor jure institutionis leget 500. filiæ natæ, & alia 500. na-scitura, & injungat, quod si nata & nascitura decedant, antequam nuperint, dicta legata pauperibus erogentur, requiritur, quod tam nata quam nascitura moriatur, quia utrumque copulatum debet esse verum. Bald. *conf. 39. in princ. lib. 1.* Et hæc, quæ diximus, per omnia hoc modo non solum in dictis, sed reliquis similibus procedunt, in tantum quippe copulat & requirit consensus utriusque copulati, ut sicut universalis collectiva falsificatur in uno, ita etiam particularis copulativa. Castrensi. *conf. 103. n. 2. lib. 1.* Interim potest videri Card. Tusch. *Præf. Concl. Juris. Tom. 2. conclus. 1035.* qui unam atque alteram habet limitationem. Confer quæ dicta sunt ad Adverbium *Conjunctum.*

#### 47. Corrupte.

Adverbium hoc suam à corrumpendo, & cum eo unam eandemque recipit significatiōem; Sumitur autem corrumpere, pro vitium afferre & violare, prout apparet ex l. 5. ff. de quest. 138. §. qui nondum. ff. de Paæ.

Sicut

Sicut autem variis in vita civili rebus vitium afferatur, ita quoque variè usurpatur.

Sic in l. 1. §. 3. & seqq. l. 5. & l. 9. ff. de servo corrupt. usurpatur de servo, cuius animus mala persuasione veluti meretriciis sermonibus est depravatus, hinc & rectè is dicitur corruptè agere & patrimonium domini minuere, teste Cujac. II. Obs. II. quæ causa est, quòd domino detur actio de servo corrupto in duplum mixta, rei & poenæ persecutoria. l. 14. §. 5. ff. de serv. corrupt. quæ tamen non est famosa. l. 5. "§. 1. junct. duabus II. seqq. ff. de Obs. Par. & Patr. præst. quicquid etiam dissentientes dicant, ex l. nota-  
bili 56. ff. pro socio.

Ita quoque dicitur de virgine vitiata, in l. si quis ali-  
quid. ff. de Pœn. Corrumperet siquidem est verbum gene-  
rale, & tam ad animum quam ad corpus refertur. l. si ser-  
vus servum. ff. ad L. Aquil. non tamen denotat vim, hinc  
per corruptionem hic intelligimus concubitum illum il-  
licitum, qui intercedit inter solutum & solutam con-  
sentientem. l. 22. l. 29. C. ad L. Jul. de adulter. & de his  
corruptis virginibus sciendum, quòd si semel depra-  
vatæ sint in eum locum, quo acceptæ sunt, restitui neque-  
ant, ut hinc etiam Hieronymus: Audenter dicam, inquit,  
cum omnia possit Deus suscitare, tamen virginem non potest  
post ruinam. De vi stupratis aliud obtinet; Virgo, quip-  
pe tali modo corrupta, nullam infamia meretur macu-  
lam, sed inviolata existimationis retinet privilegia. l. 13. §. 7.  
l. 39. ad L. Jul. ff. de adult. l. 20. C. eod. usq; adeò ut mulieri quæ  
ante stuprum violentū virgo fuerit, coronam virginitatis  
in capite portare liceat, eaque caput peplo obvelare haud  
teneatur. Franc. Pfeil. Conf. 147. cent. 7. Sic

Sic corrupille videtur, qui vinum spurcavit vel effudit, vel acetum fecit, vel alio modo vitiavit. l. 27. §. nequit lex, cum seqq. ff. ad L. Aquil. Item si frumento harenam aut quid aliud immisceret, cuius difficultas separatio sit. d. l. 27. §. si quis vestim.

Ita & corrupisse intelligitur Album prætoris, Tabulas, chirographa debitorum, qui ea interleverit. l. 42. ff. ad L. Aquil. l. 35. ff. de dol. mal. l. 16. §. deniq. ff. fam. ercisc. l. 31. ff. defurt.

Hac ratione quoque Judex & quilibet alias arbiter dicitur corruptè judicare, qui cum alias teneretur gratuitum exercere officium, si exinde recepit pecuniam, etiamsi sententiam ferat justam. Anchor. cons. 157. Sed hoc est restringendum; neque enim statim quilibet Judex qui pecuniam accipit, est corruptus dicendus, sed ille solummodo, qui animum suum pecuniâ corrupti patitur; hinc quando Titius offerret pecuniam Judici, ut justitiam celerius ministret, & is acciperet, non est habendus pro judice corrupto, potest quippe in omnem eventum Titius datum repetere, & causam persequi. Clar. in §. fin. q. 73. n. 2. in fin. verb. pars ant. Quando igitur Judex animo fallendi accipit pecuniam, vere est corruptus, & si legitimæ probationes confirmant corruptionem, ipso jure hujus Judicis sententia est nulla, teste Socin. Reg. 7. & corrupti pennis judicem perdit causam, cuius occasione corruptionem fecit, imo, cum jure antiquo repeteret poterat datum corruptionis causa, hodie nihil repetit. Bald. Cons. 353. ubi sequitur distinctionem And. de Piss, quando licet donare judici impune vel non. Et hæc non de judice, solum & arbitro vera sunt, sed etiam pertinent ad tutorem,

Z

rem,

rem, qui pro pupilla maritanda recipit pecuniam, nam licet eam maritet condecenter & bene, tamen dicitur corruptus & ex causa mala recipere, & restituere tenetur. Anchor conc. 175. Sed cuinam restitutio ista fieri debeat, an pupillæ, pro quâ maritandâ recepit pecuniam, an pauperibus, non inutiliter hic queritur? Anchor. d. cons. respondet pauperibus, etiamsi sint consanguinei, restituere debentis. Videatur Card. Tusch. Pract. Concl. 170. Mascal. Conclus. 454.

#### 48. Cotidie.

Obiter hîc notandum, quod Critici & Grammatici non conveniat in hujus Adverbii Orthographia, multi enim sunt, qui rectius illud per C. quam per Q. ut Cotidie scribere autemant; & inter illos tanquam antesignanus est Quintilianus lib. 1. Orat. Inst. c. 10. quem secutus est Victorinus in lib. de Orthogra. Annotarunt & hoc etiam Angel. Polit. & Laurent. Abstemius, & Ludovicus Bonogni, in suis annotationibus singularibus. Sed quicquid illi dicant propter euphoniam ex consuetudine hactenus receptum Viris Clariss. M. Z. Boxhornio, Baclero, & Bosio nostro, rectius putamus scribi per Q. quam per C. hinc etiam lubet illius explicationem transferre ad literam Q.

#### 49. Crebro

Quamvis hic Adverb. nost. jure tanquam in sede propria explicari debuisset, quoniam tamen secundum l. 2. post prin. C. de commun. serv. manu. idem significat ac sepe, non lubuit, illud hic exponere, sed tantum B. L. ad d. Adv. quod infra venit explicandum, remittere.

#### 50. Criminaliter.

Sicuti criminis nomine in jure nostro Capitalis fraus intel-

intelligitur, quā respubl. lēditur, veluti cædes, falsitas, fur-  
tum, adulterium &c. ita quoque Adverbio hoc, quan-  
do dicimus, criminaliter agere. Actio inde proveniēs in-  
digitar, prout patet ex l.91 ff. de furt. & l.2. de appell. recip.

Alias in Judiciis habet insignem usum; cum enim  
causæ ibi occurrentes vel sunt criminales, vel civiles, ipsa  
judicia hinc dicuntur alia criminalia, alia civilia; In civili  
actio intentatur ad rem familiarē pertinens, seu ad com-  
modum injurati & lœsi; In Criminali verò ad vindictam  
delicti, & ad poenam applicandam fisco. Dicitur ergo  
tunc agi criminaliter, quando ad poenam fisco applican-  
dam agitur, licet sit poena pecuniaria. Similiter verò,  
quando illud, quod petitur, est applicandum parti, licet sit  
poena & ex delicto agatur. Bart. & Dd. communiter in l. fin.  
ff. de privat. delict. Card. Tusch P.C. J. Tom. 2. Concl. 1083. Ut  
autē efficaciter quis criminaliter possit agere, requiritur,  
ut habeat luculentissimas evidentesq; probationes, nul-  
lus quippe est puniendus criminaliter, nisi apertissimis  
probationibus convincatur, quia clarior probatio semper  
requiritur in causa criminali, ubi enim majus est pericu-  
lum, ibi cautius agendum. Oldrad. Conf. 192. hinc agere  
& puniri potest criminaliter quilibet ex dolo seu facto do-  
loso, teste Baldo Conf. 226. quod tamen etiā non universa-  
liter verum est, sed cum salis grano accipendum; si enim  
dolus potest purgari actione ex contractu, in quo dolus  
fuit commissus, non punitur criminaliter, nisi quando  
transivisset in speciale delictum, prout furti &c. vel nisi  
adhibens dolum lucratus fuisset, quia tunc etiam si non  
transiret in speciale criminē, punitur poena stellionatus, nisi  
possit purgari ex contractu illo. Bald. Conf. 14. ex hoc nunc  
illud

illud fluit, quod quis de levi & levissima culpa non possit criminaliter puniri, nisi in atrocibus delictis, ubi enim deficit actio civilis, ibi nonnunquam incipit criminalis, teste Salycet. in l. eos. C. defurt.

Quaritur hic occasione hujus Adverbii 1. An in Criminalibus transactio sit licita. *B. ex l. 2. C. de Abolit. & l. 3. C. pro quibus caus. serv. negando.* Ibi enim, Transactione crimen non aboletur: transigenti itaque poena non est mitiganda, nedium remittenda, repeti quippe reus à magistratu vel ab accusatore quovis alio potest, ne delicta manent impunita. *l. 57. ff. ad L. Aquil.* hoc tamen non ita simpliciter est intelligendum, neque etiam d. l. 3. C. de Abolit. generaliter loquitur, sed tantum de criminibus publicis, non capitalibus, ut apparet ex l. 18. C. de transact. ubi; *Transigere vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio probatum non est, in aliis autem publicis criminibus, qua sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem;* Licet itaque de crimine capitali, cuius pœna mors est, tranfigere, quoniam ignoscendum est ei, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit. *l. 1. ff. de bon. eorum qui ant. sent.* de aliis autem criminibus publicis non capitalibus, inter quos utique etiam est crimen falsi. *l. ult ff. de Prevaric.* transigere vel pacisci dato pretio non licet, & hoc propterea, quia non vertitur causa sanguinis. *l. 1. ff. de bon. eorum qui ante sent:* hinc reus, si transigit, pro convicto sive ante sive post institutam accusationem. *d. l. fin. de Prevar.* *l. 5. ff. de his, qui notantur inf. l. 4. de Jure fisci.* *l. 2. prin. ff. de bon. eor. qui ant. accusator vero pro prævaricatore habetur,* & incidit in SCtum Turpill. *l. 6. princ. ff. ad SCtum Turpill.* Hodiè tamen transactio nem

nem etiam in his criminibus licitam esse, notarunt Viri  
Illustres, D. Carpz. in Prax. Crimin. part. 3. quæst. 148. & n.  
8. & Dn. Struve Disp. 6. tb. 62. Alias de illa quæstione plu-  
ra apud Perezium & Brunnemannum ad l. 18. C. de trans-  
Mynsing. obser. 22. Gail. 1. de P. P. c. 11. n. 12. Strauchium  
Dissert. 26. aph. 7. Wefenb. part. 1. disp. 10. tb. 13. & Schnobelium  
Disp. 2. tb. 30. legi possunt, ad quos B. L. remitto.

Quær. 2. An in criminalibus appellatio sit licita?

R. Si de Jure Communi loquimur, dicimus, quod ple-  
rumque appellare liceat. l. addic. 29. C. de Appel. Dixi  
plerumque, non enim semper, ut putat Justus Oldekop.  
appellationes in his causis habent locum, sicut in hanc  
rem clarus est textus in l. notab. 2. C. quorum appell. non re-  
cipiuntur, & rccensem etiam casus nonnullos, in quibus  
non admissa fuit appellatio, Gomesius c. 13. Julius Clarus  
queſt. 94. d. 1. & Imol. in l. fin. § jussus. num. 9 ff. de appell. De  
consuetudine alias generali totius Germaniæ aliud obser-  
vatur, nunquam enim admittitur appellatio, sed post la-  
tam sententiam condemnatoriam statim pro arbitrio ju-  
dicis remotâ omni appellatione fit executio, ut habetur  
in Constitutione Imperii Augusta Anno 1530. promulgata. §.  
Item als iko etliche Zeit. & Ordin. Cam. Imp. part. 2. tit. 28.  
§ 5. Videatur Mynsinger. Cent. 4. obf. 41. Gail. 1. Obf. 1. n. 28.  
Perez & Brunn. ad d. 1. 29.

Quær. 3. An reconventioni detur locus in crimi-  
nalibus R. non datur; Criminali enim actione con-  
ventus non potest civiliter reconventionem intentare. l.  
fin. C. de Ord. Jud. Criminalis quippe causa præjudicat ci-  
vili, quando continet certam speciem criminis, puta,  
quia tu me accusas de injuriâ illata, & ego instituo accusa-

tionem contra te, quod induxisti testes falsos, vel oppono aliud crimen in specie commissum ratione judicii primi, & ab eo accusatum; tunc procedendum est in criminali & supersedendum in civili, sicut testantur *Feder. de Sen. Conf. 93. & Marant. Disinct. 6. n. 57.* Et hæc non de jure solum communis, sed etiam ex Jure Camerae Imper. singulari tam vera sunt, ut etiam ex constitutione pacis publicæ conventus criminaliter non possit in Camera civiliter re-convenire, teste Gailio lib. 1. de P.P. c. 12. Sic rejecta fuit re-conventio in causa Nürnberg/ contra Bamberg/ Colben/ und Blaunen belangend/ Ao. 52. die 18. Januarii; ita in causa Lewenstein contra Mittelheim geraden Anno 63. die 16. Feb. Plura vide sis apud *Clarum in Praxi quest. 2. in fin.* *Petr. de Anchor. Conf. 62. Roland à Valle conf. 13. n. 13. lib. 2. & Johannem de Vicomercato n. 122. cum seqq.*

### SI. Cumulate.

Similem, Adverbium hocce præsens cum nomine cumulus, à quo originem trahit, habet significationem; sicut enim cumulus propriè majorum rerum veluti acer-vum quandam denotat, ita Adverb. nostrum idem est, ac acervatim, abundanter, uti ex vocabulo Gallico, Abondament, eleganter appetet. Occurrit autem nomen cumulus cum insigni usu in jure nostro multis in locis; Sic in l. 3. ff. ubi pupill. educ. dicitur, cumulus patrimonii. in l. 4. ad SCium Trebell. cumulus æris alieni, & in l. 9. ff. de Pactis, cumulus debiti; quinimo de ipsis actionibus dicitur, ut cumulus actionum; quemadmodum enim cumulus debiti vocatur coadunatio multarum summarum, ita cumulus actionum est editio plurium actionum. l. 8. majo-rem, cum l. seq. ff. de Pact. & de hac actionum cumulatione

EGENOM

OC-

occasione hujus Adverbii queritur, utrum sit licita, seu  
utrum plures actiones in uno libello comprehendendi, eo-  
demque judicio agitari possint? Et regulariter juxta Jus  
Romanum, quoties concurrunt plures actiones ejusdem  
rei nomine, una tantum quis in libello, unoque judicio  
experiri potest & debet. *I.43. §.1. de R. J. l.74. §. 8. de legat.*  
*z.l.9. §. 1. de tribut. Act.* ubi tamen hic sciendum, quod non  
omnes Dd. nobiscum sentiant, sed multi sint, qui contra-  
rium statuant, & quidem I. propter *I.12. §. 1. ff. de acquir.*  
*poss. I.18. §.1. ff. de vi & vi arm.* ubi judicium petitorum &  
possessorum conjunguntur II. propter *I.1. §. qui autem*  
*4. ff. de legat.* ubi permittitur hæredi agere petitiones hæ-  
reditatis & simul interdicto unde vi. III. propter *I.35. §.*  
*8. ff. locati,* ubi ex eodem contractu duas quis actiones si-  
mul movet, locati & conducti. Sed quicquid sit, ut ex re-  
solutionibus Magnif. Dn. Struvii Ex.46. th. 100. & Dn.  
Wisenb. part. i. disp.8. th.19. videre est, tantum abest, ut  
sententiam nostram evertant, ut potius pro nostra faci-  
ant; hoc ambabus largimur manibus, & non negamus,  
quod usi fori cumulatio actionum admittatur, non ta-  
men iterum indistinctè, quia actionum cumulatio fit di-  
versimode, & quandoque cumulatur actio actioni, quan-  
doque exceptio exceptioni, interdum actio exceptioni, &  
interdum exceptio actioni, ut habet Bald. *Conf. 187. in fin.*  
*n.7. lib.1.* Primum quod attinet casum, quando cumu-  
latur Actio Actioni, tunc aut cumulantur plures actiones  
compatibilis eodem libello, & potest fieri cumulatio,  
quia non est dare rationem, cur magis una actio sit expe-  
dienda quam alia. *Alex. conf. 104. in princ. lib.6.* aut cumu-  
latur accessoria principali prius intentata, & non potest,

*l. fup-*

*l. fundum ff. de except. præterquam in hypothecaria Bald. d. conf. 187. in fin. aut cumulatur judicium præparatorium principali judicio, & si utraque actio nata est, vel nasci speratur ex negligentiâ vel contumaciâ, & cumulatio procedit; aut una non est nata, neque nasci speratur, pendente judicio, & non sit cumulatio, quia sine actione quis experiretur. Rom. Conf. 382. n. 12 & seq. Secundum quod concernit casum, quando cumulatur exceptio exceptioni, & tunc habet locum *l. nemo ex iis: ff. de except.* Tertio casu quando cumulatur actio exceptioni, sciendum, quod tunc si sunt ejusdem naturæ, non procedat cumulatio Bald. confil. 187. in fin. lib. 1. Quarto casu quando cumulatur exceptio actioni, & si est de natura judicii, opponi potest, Bald. d. Conf. Alias dicta ista actionum cumulatio communiter distingui solet in successivam, alternativam, & simultaneam. Successivè dicitur fieri cumulatio, quando duas actiones in eodem libello proponuntur, ita, ut una post alteram decidi debeat, sive eadem sive diversa sententia, & sic volunt cumulari querelam inoff., & petitionem hæreditatis teste, *Magnifico Dn. Struvio Ex. 10. lib. 4.* in fine. Alternativè solet fieri, si quis alternatim ob incertitudinem duas proponeat actiones, ut si hâc non possit consequi, alterâ consequatur, ita volunt cumulari rei vindicat, & actionem publiciam teste iterum *Dn. D. Struvio, Ex. 11. lib. 44.* simultanea cumulatio dicitur, quando plures actiones in eodem propoununtur libello, ut simul examinentur, & una eademque sententia decidantur, v. gr. *actio injuriarum:* & *actio ad palinodium.* Hæc de hoc Adverbio; plura habet Card. Tuff.*

*Praet. Conclus. Tom. 2. conclus. 1095. Gail. 1. Obs. 63. 5.*


*Fibig in process. pag. ult.*







10 17



B.I.G.



Q. D. B. V.  
DISPUTATIONEM COLLEGII JURIDIC  
DE  
SIGNIFICATIONE  
ADVERBIO.  
RUM

TERTIAM,  
Magnifico J Ctorum in Illustrissima Jenensum  
Academia Ordine consentiente,  
P RÆSIDE  
VIRO

Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo  
atq; Excellentissimo

DN. CHRISTOPHORO PHILIPPO  
Richter/ J Cto & Decretalium P. P. famigeratissimo, Co-  
mit. Palat. Cæsar. Consiliario Saxonico eminentissimo, Fa-  
cultatis Jurid. Ordinarii, Dicaferii Provincialis &  
Scabinatus Assellore Primario, gra-

vissimo.  
DN. PATRONO AC PRAECEPTORE SUO ÆTERNUM  
DEVENERANDO,

die 26. Aprilis. M. DC. LXV. H. L. Q. C.  
publico placidoq; Eruditorum Examini  
sæstet

Burchard Henrich Eilemann  
A U T O R.

JENÆ  
Typis JOHANNIS NISI

KENFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALIE